Faco



LOGICAE SUCCUS

EXTRACTUS DIALOGISQUE EFFUSUS

AB EMMANUELE M. DEL MARMOL,

REGIA HISPALENSI ACADEMIA

REGIO PHILOSOPHIAE ANTECESSORE.

HISPALI:

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS

JOSEPHUS HIDALGO ET SOCII EXCUDEBANT.

ANNO 1827.

Marmol

Fac ut gustes, dilectule: ne fastidias

Ex votis meis.

DOCTORI D. D. NICOLAO MAESTRE, Tous de Monsalve, almae Hispalensis Ecclesiae Octogintaviro, inter Magistros Teologiae magisterio assumpto, Hispalensi Gymnasiarchae.

Laborum meorum primitias anno hoc, quo iterum hispalense Lyceum, cunctis plaudentibus, moderaris, ad tuas mitto manus, Rector dignissime. Pluribus ,anteactis temporibus de scientiis es meritus; sed non minora ea sunt, quae pro illarum incremento et dignitate anno, qui labitur, effecisti. Arcere totis curasti viribus ab Academiae liminibus eos, qui transilire inhiabant Latii ignari idiomatis, quod Aulae resonant, et Auctores. Ab improbo et inutili me Magistrum exonerasti in illis edocendis labore. Et me, et discipulos logica , matematicaque examina subituros et honorasti, et recreasti, et erexisti te praesentem futurum dignanter promittens. Corde gratitudini apertissimo sum á provida Naturâ donatus. Hoc, quod tibi dico, opusculum grati animi testimonium accipe ¡Possem utinam digniora offerre!

Non vile omnino est donum, si redactorem servilem non feci; si vitavi scopulum ab Horatio reformidatum,

. . . . brevis esse laboro,
Obscurus fio: . . . .

si Philosophiae historiam juvenibus aptatam contexi. Et eorum curiositati, et utilitati erat satisfaciendum; sed non eo modo, ut magis necessariis deesset tempus. Quinam Philosophiae origo, quinam progressus studiosus quisque Philo-

sophiae Auditor scire desiderat. Non enim decet ignorare Philosophos. Dicti saltem ei esse debent illi, quos in studiorum decursu laudare crebró est auditurus. Tradenda haec erant ita ut Matesi, Logicae et Ontologiae tradendis tempus relinqueretur. Non vile ergo opus exegi, sed majora mereris.

Qualecumque sit, benevolis amplectere manibus, et patere quod Nomen tuum fronte gerat, quando publici fiat juris.

Vale, et vive bonarum litterarum bono, Rector dignissime. Pridie Kalendas Ianuarias anno a C. N. M.DCCC.XXVI.

Tui obsequentissimus

Emmanuel Maria del Mármol.

BREVIS NARRATIO PATRIS ANDREAE GUEVARA,

DE PHILOSOPHIAE PRAETIO ET VICISSITUDINIBUS IN EPITOMEN REDACTA.

¿*Quantum est Philosophiae praetium?* Tantum, quantum praetium est amoris Sapientiae, vel congnitionis omnium omninó rerum rationis viâ adquisitae, in quo amore, et cognitione Philosophia sita est.

¿*Quid addis ad Philosophiae praetium comprobandum?* Ecce illud. Feliciter, quantum in hac vita possunt homines vivere, vivunt, qui res, quae nos circumdant, quibusque uti debemus, prout in se sunt, cognoscunt, et non eas credunt, prout praejudiciis et erroribus exhibentur. Solus autem Philosophus hâc perfectâ, quanta hominibus data est, cognitione potitur. Sola ergo Philosophia fruemur felicitate eâ, quae Naturae viribus potest ab hominibus comparari. Praeterea, Philosophiae praetium cognoscet quis, si animadvertat desiderium scientiae, quod Natura nobis ingessit. Hoc magnum est. Cum autem Natura desideria non suggerat nisi in utilia, utilissima esse debet rerum omnium scientia, ad quam nos vehementer impellit Natura. Insuper, idem praetium demonstrant conatus, non hominum erroribus agitatorum, vel pessima educatione ductorum,

vel vitiis mentem turbantibus obrutorum, sed hominum temporum omnium ingenio illustrium, qui ad Philosophiam hauriendam transnatarunt maria, transilierunt montes, per diversasque orbis partes gressi sunt vigiliis, impensis et infinitis laboribus hanc charissímam scientiam quaerentes. Denique, Philosophia scientias omnes sub se continet, alit artes, et vel divinas scientias, quae supra illam sunt, ita velut honoris famula anteit, praeveniens homini, ut postea sequatur profetia, sicque haec ab ipso homine recipiatur ut rationali.

¿Quid sentis de iis, qui credunt scientiae studium valetudini officere, et pietati pugnare? Eos usum rerum moderatum turpissime cum abusu confundere. Quemadmodum alimenta, quae sunt pastus corporis, si regulâ justâ sumantur, non officiunt, sed prossunt, ita veritatis studium in scientiis, quae sunt pastus animi, si moderatè accipiatur, homini noxium non est, sed proficuum. Propterea innumeri sunt litterati viri, iique studiosissimi, qui ad longevam aetatem vitam duxerunt.

Si impii homines scientiâ abutuntur, hominum, non scientiarum deffectus est. Nunc, si, quia scientiis aliqui abutuntur, scientiae sint proscribendae, alimenta proscribantur etiam, quia sunt homines ingluviei et crapulae dediti. Proscribatur lux, quia luce abutuntur homines ad scelera perpetranda. Proscribantur gladii vitae usibus necesarii, quia gladiis ad neces homines abutuntur. Proscribatur Societas, quia, hominibus adunatis, sunt aliqui, perversi illi, qui vitia sequuntur, seminant et deffendunt. Rationem scientiis colere,

pietati non nocet, si ratio pietati praeire debet, ut erga Deum sit rationabile obsequium nostrum, ut Paulus Apostolus exigit. Demum, si scientiae pietati pugnant, si malae sunt scientiae ¿quomodo in scripturis sanctis Deus vocatus *scientiarum Dominus?*

¿Quem credis primum fuisse Philosophum? Adamum. A Creatore constitutus est princeps creaturarum omnium, quae ornant orbem terrarum. Dedeceret Deum providentissimum principem hunc ignorantem subditorum suorum pati. Futurus erat primus hic homo omnium hominum parens atque magister. Ab eo ergo accipere filii debebant rerum, quibus uti habebant ad vitam servandam et demulcendam, cognitionem quoad earum naturas et relationes. Deinde Adamus et animantibus, et plantis, et caeteris suae potestati subjectis nomina impossuit, quae nomina tam propria fuerunt, ut quodlibet rei nominatae naturam exprimeret, sicut sacrae litterae innuunt. Ad hoc autem magna fuit necessaria sapientia, et tam magna, ut Plato Philosophus asseruisset nominatorem primum indiguisse ad nominandum divina sapientiâ. Sed non negamus decursu temporis homines Philosophiam á parente aceptam protendisse, et perfecisse eo gradu, quo et homines multiplicabantur, et non solúm necessaria ad vitam, prout in simplicibus primis temporibus, sed etiam commoda quaerebantur.

¿Quid dicis de Philosophiae propagatione? Ex Adamo ad filios, ex filiis ad nepotes, sicque deinceps, propagata est regionibus illis angustis, quibus tunc vitam degebant. Domino autem de

Coelo pluente, omnique terrâ inundatâ, Noemus, ejusque filii in arca, quâ ipsi claussi sunt, Philosophiam clauserunt.

Progenies Noemica per Chaldeam sparsa de supremo rerum Domino, de humanae gentis origine, de inventis artium, de directione rationis, et de aliis hujus generis cognitiones disseminavit. Et post absurdos conatus turris ad Coelum pertingentis edificandae confusione linguarum poena á Deo mulctati homines, qui labii unius erant, ad hanc, qui aliùs, ad aliam regionem migrarunt, secum philosophicas cognitiones ad religionem et vitae commodum utiles deportantes.

¿Quid dicis de Philosophiae propagatione his, quae secunda dici possunt, temporibus? Ex Chaldea propagati sunt philosophicae lucis radii praecipuè ad Egiptios, qui suo se Trimegisto, suisque Sacerdotibus ad sidera extollunt: ad Persas, qui suos Zoroastrum et Magos sive sapientes jactant: ad Indos, qui suos laudant Gimnosophistas: ad Gallos, qui suis se complacent Druidis: ad Atlantes, quibus sui Atlas, Mercurius, et Bacchus in delitiis fuerunt: ad Thraces, qui Zamolxi suo, et Orpheo gloriantur: ad Phaenices, qui Argonautis suis commendantur: ad Hebraeos, qui suos Mosem, Jobum, Davidem, Salomonem habuerunt. Quidquid de harum Nationum sapientia Critici dicant, quidquid de eà probent itinera ad Egiptum, ut Philosophiam biberent, celeberrimorum Graecorum, Solonis, Thaletis, Pytagorae, Democriti atque Platonis, et ad Indiam eorumdem Pytagorae et Democriti atque Anaxarchi, nullibi magis quam in Chaldea Philosophia profundiores

egit radices. Post haec Philosophia Graeciae floruit. Et haec dicta sunto de secunda Philosophiae epocha; pauca quidem; sed plura dicere non sinit velum, quo tempus tegit illas epochas remotissimas.

Verba facias oro de tertia Philosophiae epocha, sive de Philosophia Grecorum.

Vel quia scientiae suam habent infantiam, et jam his temporibus adoleverant, vel quia soli graeci temperies et leges scientiis erant amicae, in Graecia talem Philosophia habuit splendorem, qualem anteactis saeculis non habuerat. Generavit et aluit Graecia Sapientes quam plurimos illustrissimos, inter quos antiquitate primus fuit Thales, Milesius dictus, quia Mileti aperuit scholam. Is, post plures per regiones exteras excursiones ad Philosophos consulendos, mirabili et facili ingenio donatus, sectam instituit, quae Jonica vocitatur. Eo vita functo, ejus scholam celebres Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Archelaus, Socrates, aliique plurimi administrarunt.

Schola haec ab Anaxagora ex Mileto ad Attenas translata fuit, quam Socrates ad honoris culmen perduxit. Docendi rationem aliquantulum immutavit, et amorem Sapientiae ardentissimum Atheniensibus communicavit. Rethoricam, Geometriam, Astronomiam, et praecipué Moralem excoluit, quibus doctrinis facile fuit omnium Princeps. Iniquorum Judicum sententià morte mulctatus obiit.

Illo é vita abrepto, Sapientes, qui omnes socratici dici amarunt, in varias abiere sententias,

et scholas statuerunt. Praecipuae fuerunt Cyrenaica ab Aristippo, Megarica ab Euclide, Eliaca á Phaedone, et Erectrica á Menodemo rectae. Sed obscuravit has omnes Academica á Platone Socrati charissimo in primis discipulo, magistroque similiori, statuta. Ingenio profundus, dissertus, ita ut dicendi eloquentiâ dulcissima apis Attica diceretur, Musicam, Poesim, Picturam, Mathematicam, Politicam, universam verbo Philosophiam excoluit, quam, peragratis ad discendum regionibus dissitis, impensis plurimis et sudoribus adquisivit. Gratis, sicut Magister Socrates, docuit in horto Academia vocato, á nomine Academi pecuniosi hominis, à quo, soluto praetio, eum habuit. Obiit diem supremum, in Patria sui desiderium relinquens.

Tunc ejus discipuli in binas abierunt scholas. Aliqui locum et nomen Academiae retinuerunt, inter quos Speusipus, Xenocrates, Polemon, Crates et Crantor, aliquid immutantes in Magistri doctrina post Xenocratem, qui pauca ei ex Aristotele sumpta inmiscuit. Xenocrate mortuo, Arcesilas Academiam, quam dixere Mediam, administravit. Hic universalem dubitationem docuit, vel potiús docebat nihil scire homines, nec scire posse. Absurda haec doctrina propagata fuit á Lacyde, Evandro, et Egesimo; sed eam temperavit Carneades, qui non ignota omnia, sed obscurissima praedicavit. Huic successerunt Clitomachus, Philo et Antiochus, qui ultimus Academiam veterem instauravit. Huic data gloria fuit habuisse inter discipulos Varronem, Lucullum, Tullium Romanos ad Graeciam, ut mos erat tunc tem-

poris, ad Philosophiam hauriendam peregrinantes.

Ab aliis ex Platonis discipulis Peripatetica schola formata est, quae Aristotelem Principem habuit. Docuit in loco, qui Lyceum fuit dictus, et fertur ambulando docuisse, á quo scholae nomen peripateticae derivari. Famosissimus fuit Aristoteles, ingenio vastissimus, in cogitando et dicendo facilis, et in studio tenacissimus. Illi Philippus Rex Macedo filium Alexandrum Magnum erudiendum tradidit. Discipulo ad belli strepitus proficiscente, Magister Athenas rediit, ubi scholam aperuit. Mirabilem scriptorum copiam reliquit, quibus universa feré, quae Philosophia continet, clausit. Philosophus vel ad tempora usque nostra antonomasticè fuit appellatus. Scripta sua successori suo in schola Teophrasto haereditate reliquit, quae decursu temporis Librariorum et Interpretum culpâ mutata, et ab Arabe Averroe contrita ad nos pervenerunt. Sed de his postea.

Aristoteli in magisterio Licci successit Teophrastus, qui numeravit ad duo mille auditores, inter quos Demetrius Phalereus et Strato eminuerunt. Teophrasto Strato successsit physicis notionibus commendatus: huic Glycon suavitate dicendi mirabilis: huic Aristo, qui magnus etiam nomine fuit: huic Critolaus, qui Atheniensibus in praetio fuit habitus: huic denique Diodorus Dialectica celeber. Post hunc magnum de Aristotele silentium fuit. Solum scriptum legimus Syllam, captis Athenis, Romam scripta Aristotelis transtulisse.

Antistenes Socratis auditor Cynicam scholam erexit, qua, caeteris Philosophiae partibus omni-

no posthabitis, Moralis solúm excolebatur; sed Moralis, quam pudet referre, quia, pudore effracto, mores hominum deturpabat. Praecipui Antistenis auditores fuerunt Diogenes, Crates, Hiparchia, et Peregrinus. Cratem audivit Zeno, sed, doctrinam fastidiens, novam scholam condidit, cujus discipuli á loco, ubi discebant, Stoici sunt appellati. In moralibus eluxit, quia felicitatem in virtute locabat; sed absurda plura docuit circa virtutis et vitii aequalitatem, et hominem suis dogmatibus insensibilem facere, ne dicam ferreum, volebat. Illustriores ejus discipuli fuerunt Leucippus, Cleantes, Crisippus, Diogenes, Babilonius, Antipater, Panetius, Posidonius, Epictetus, Stilpo, ex Graecis: é Romanis autem Cato, Brutus, Seneca, Traseas, Petus, Helvidius Priscus, et Marcus Aurelius Antoninus.

Pyrronica secta auctorem habuit Pyrrhonem, qui Arcesiae dogmata tenacisime tenuit, et ejus universalem ignorantiam, vel saltem dubitationem, eousque provexit, ut doceret nihil esse in natura honestum vel turpe, nisi vel ab humana lege, vel á praejudicata opinione. Putida haec, et horrenda.

Fuerunt alii in Graecia Philosophi celebres, qui nulli adhaeserunt Magistro, nec plures habuerunt discipulos. Praecipui sunt Xenophanes Colophonius, Democritus, et Heraclitus. Sunt Academicis antiquiores, sed eos antea non laudavimus, ne series discipulorum Socratis rumperetur. Xenophanes Astronomicis, Physicis, Poeticisque eminuit. Democritus, Abderites dictus, tam studio deditus fuit, ut strepitum meditationem turbantem

fugiens, se in subterraneis abderet. Praecipuas Philosophiae partes dignissimé excoluit, et vixit ridens inanes hominum curas, et vulgi lachrimas atque gaudia. Heraclitus viceversa has curas, haec gaudia, has lachrimas ipse illachrymans vixit. Torvus hic Philosophus scripta dedit, et á Socrate et Dario Persarum Rege, et ab aliis cumulaté laudatur.

Jonica incipiente Secta, Thales suasit Pythagorae, ingenio clarissimo, ut orbem ad sapientes audiendos percurreret. Regiones feré omnes, quibus scientiae fulgebant, invisit, et rediens, scholam in patria Samos aperuit. Ad eam Italiae partem, quae minor Graecia dicebatur, postea illam transtulit, et ob id ejus Secta Italica fuit vocata. Optimé fuit de Astronomia, Mathesi, et musica meritus, et de Morali, quam vel exemplo docebat. A sapientissimis et catholicis viris laudatus est. Celebres numeravit discipulos, inter quos praecipuus Empedocles.

Ultimus, quem memoramus ex Graeciae doctoribus, est Epicurus. Athenis scholam habuit auditoribus frequentissimam. Plura docuit, et scripsit, praecipué de Physicis at Moralibus. Deum credit bonum quidem, sed otiosum et non providentem. Atomis seu elementis materiae casu adunatis, mundum conditum admissit. Felicitatem in voluptatibus sitam tuetur. Sunt, qui non sensualem sed puram voluptatem praedicasse deffendant. Saltem id exemplo ejus vitae suadetur, cum Divus Hyeronimus scribat fuisse temperantissimum. Sed de Graecis satis.

De quarta epocha, seu de Romana Philosophia loquaris.

Primis Romae temporibus laureis Martis potius, quam olivosis Minervae coronis Romani eousque inhiabant, ut Philosophiam fastidirent, et extra Reipublicae fines Senatus ejecisset Philosophos. Sed barbarum hocce decretum non impediit, quominus clancúlúm primúm, mox palam, Romani Philosophiam adamassent. Favit illi primus Paulus Emilius, post ejus filius Scipio Africanus. Eousque crevit Philosophiae amor, ut postremis Reipublicae temporibus ad summum honoris fastigium fuerit evecta. In amore sapientiae et litteris filii educabantur, et primi in litteris primi in Patria, in Senatu in Magistratibus habebantur, et inter plures Pompei, Luculli, Hortensii, Tullii, Cottae, Caesaris, Catonis, Bruti, Attici, Varronis nomina tempus omnia obtenebrans est veneratum. Omnes hi magni fuerunt Philosophi, sed super omnes emínet Tullius, non solúm dicendi arte, quae Oratoris nomen antonomasticum ei obtinuit, sed Physicae et Moralis praeceptis. Mirabilia sunt ejus scripta, licet non omnia ad nos pervenire potuerint. Senecam laudare etiam possumus, sed ei praestat Marcus Tullius Cicero, quantum lentis viburnis et thymis alta cupressus. Philosophia omnis Romana Graeciae debuit originem. Plures Romani ad Graeciam: Graeci aliqui ad Romam transierunt, quà familiaritate ex Graecia, ubi florebat, ad Romam Philosophia transiit.

Ultimis Reipublicae temporibus caput extulit secta illa, quae Eclectica, seu Electiva, est dicta, quia nullum Magistrum agnoscit, in nullius

verba jurat, et solúm submittitur rationi. Omnia quaerit trutinatque dogmata: quae meliora inveniat, ea sequitur. Haec philosophandi ratio á Platone et Socrate et Tullio innuta, á Potamone sancita fuit et praedicata. Feré omnes Sapientes amplexi sunt, et á pluribus, vel de Ecclesiae Patribus fuit laudata. Ab omnibus debet amplecti, dummodo aetate et studio provecti, quid eligi, quid respui debeat, valeant pensitare.

Sub crudelibus Imperatoribus Calligula, Nerone et Domitiano, sapientiae osoribus, obscurata fuit Philosophia; sed sub Adriano et Marco Aurelio Antonino iterúm splendere coepit. Hoc saeculo, quod fuit Ecclesiae secundum, eminuere Plinius major, et minor, Dion, Quintilianus, Plutarcus, Epictetus, Arrianus, Gallienus, Diogenes Laertius, Maximus Tyrius, Diognetes, Crescentius, Celsus. Inter Catholicos fuere Iraeneus, Justinus, Teophilus, Athenagoras, Ermias, Clemens Alexandrinus, et, incipiente tertio saeculo, Origenes. Post hunc serie non interrupta innumeros Ecclesia habuit Doctores moribus et doctrinâ gravissimos, qui fidei Catholicae osores confusione et pudore operuerunt. Ex his Cipryanus, Athanasius, Basilius, Gregorius, Ambrosíus, Hyeronimus, Cyrilli, Chrisostomus, Augustinus. Hi autem Doctores monstra nascentium haeresum debellaturi, praecipué Teologiae et moralibus vacare studuerunt.

Quintam Philosophiae epocham temporis barbariei insequere.

Ecce hoc tempore ingens é Septemtrione in Italiam, Hispaniam, Galliam et Africam Barbarorum irruit turma. Armorum strepitu, et igno-

rantiâ grassantibus, actum de litteris est. Sicut viridis aliquis ramus in immenso aestuario surgit, surrexerunt aliqui, sed paucissimi, litterati Viri, Gregorius Magnus, et Isidorus Hispalensis, homo eruditus, et pietate conspicuus. Cassiodorus, isque sapiens, Caenobio formato, Monachos ad studia pellexit, et ad eorum exemplum Coenobitae per Italiam, Hispaniam, Galliam, Angliam, Germaniam vacarunt litteris. His debetur conatibus quod litterae non penitus interierint. Fatemur tamen Viros hos á vitiato in litteris sapore ab aetatis moribus derivato non fuisse immunes.

¿*Quid dicis de sexta epocha, sive de Arabum Philosophia?* Litterae ab Europe exules in Arabiam fugerunt saeculo Ecclesiae decimo. Ibi Alfarabius, Avicena et Albumazarius floruerunt. Per Hispaniam ab Arabibus possesam eorum doctrina in variis scholis disseminata est, quibus Averroes, Arabs genere, Cordubensis natione, extulit caput. Hic homo Aristotelem in orbem induxit, vel potiús scripta Aristotelis ita suis propriis genio et placitis expresa, ut libri, quos edidit, potius Averrois, quam Aristotelis dici debeant. Inutilibus et ridiculis praeceptis, aeternisque disputationibus, litteras obduxerunt, Per plura saecula solus in orbe litterario Aristoteles personabat, nomine potius quam re, cum immutata ejus doctrina, vitiatâque praesertim in Physicis, traderetur. Qui Aristotelem non sequebatur, malé audiebat. Caeterae doctrinae proscriptae sunt. Tamen aliqui eminentes viri hac tempestate fuerunt, quibus nihil defuit, ut nulli cederent, nisi posterioribus tem-

poribus nasci, laudare sufficiat pro omnibus majorem prae caeteris Aquinatem Thomam.

Decimo quarto saeculo Viri aliqui perspicaces contra Aristotelicam tyrannidem surrexerunt, qui clamores provehentes ab aliquibus Hispanis, Italis et Germanis anterioribus soeculis editos, Aristotelicum imperium aliquantulum perturbarunt. Hi inter alios fuere Bessario, Argiropilus, Teodorus Gaza, Georgius Trapezuntius.

Septimam et recentem Philosophiae epocham dicito. Renato Cartesio Gallo Philosopho Aristotelem proterere fuit reservatum. Ingenio eminens; sed beneficis sudoribus pro scientiis eminentior, Philosophiam aut magna ex parte creavit, aut certé splendore novo munificentissimé cumulavit. Is primus ejus faciem immutavit, praejudicia concussit, excussit Aristotelis jugum, justà inducta in philosophicis libertate. Eidem operi tamen magnus Florentinus Galileus de Galileis geographicis, mechanicis, et astronomicis celeberrimus, magno animi ardore manum admovit. Admovit etiam Petrus Gassendus, Leucippi et Democriti instauratis atomis, licet rationabiliús statutis.

Deerat tamen ad novum imperium, post vetus Aristotolis excussum, firmandum Philosophia, quae quid esset Mundus diceret, phoenomenis examinatis, caussis veris et realibus inquisitis, et non quid esse possit, hipothesibus vel suppositionibus pro veritatibus realibus venditis. Methodum ad rem tam magnam moliendam Anglus Franciscus Baconus, Comes de Verulamio, dedit suis libris de incremento et dignitate scientia-

rum, de novo scientiarum organo, et aliis.

Hâc viâ gressus est Isaacus Newtonus, natione Anglus, Patriae decus et ornamentum, Naturae dilectissimus filius, et Philosophorum admiratio. A Keplero et Cartessio plura in Matematicis mutuavit; sed ita ea provexit, ita inventis inventa addidit, ut Mathematicae Pater dici meritó debeat. Physicam, Astronomiam omnes anteriores Philosophos supergrediens tractavit. E vivis tandem abfuit. Parentatum ei est quasi Regi, et Rex ad tumulum mortales ejus exuvias ferentibus fuit socius. Erecto Mausoleo haec fuit superimposita inscriptio. „Gratulentur sibi mor„ tales, tale tantumque extitisse humani generis „ decus."

Eodem decimo septimo saeculo, quo floruit Newtonus, Germaniâ apparuit Gottofridus Gullielmus Leybnitzius. Ingeniosissimus fuit, studio litterarum tenax et indefessus, Orator, Poeta, Historicus, Jurisperitus, Theologus, Philosophus, Mathematicus, et in singulis eximius evasit. Vir certé cum Newtono, Cartessioque comparandus. Plurima scripsit, et hactenus non auditam Philosophiam prodidit.

In hoc tpso soeculo litterarum aureo plures alii extitere Philosophi scientiarum ornamenta et honos. Inter alios laudare sufficiat Malebramchium, Clarkium, Wolphium, Maupertuissium, Boschovichium, Eulerum, Alambertum atque Bonetum.

Mundana omnia nascuntur, pubescunt, adolescunt, maturescunt atque senescunt. Philosophia. Adamo nata pubescit in Aegiptiis, Indis, Phenicibus, caeteris, adolevit in Graecis atque Romanis, morbo

apud Barbaros correpta languescit, sed convaluit, et ad maturitatem ultimis usque ad nostra soeculis est pervecta. Hacce nos scientiarum felici epocha vivimus. Mathematicae praecipuae, Physicae, Astronomicae, Chimicae res videntur apicem attigisse. Nos in ea ratione et experientiâ ducibus, quidquid omnium soeculorum Philosophi invenerunt, examinemus; recta probemus, absurdaque rejiciamus. Amici nostrûm Plato, Aristoteles, Newtonus, Cartessius, Philosophi caetaeri; magis autem amica veritas. Philosophiam ratione, non auctoritate hominum nixam sequamur: Philosophiam, quae religioni verae, cui, et non alii, amica est ratio, non aversemur, totis viribus insequamur, si utiles nobis et Patriae esse volumus, si felices, quantum noster hic orbis suscipit, tranquilique esse desideramus. Philosophia nobis erit magistra vitae, eruditum otium, in casibus adversis perfugium, et semper suavissimum oblectamentum.

Valete et discite, Juvenes.

LOGICA.

BINA VERBA PRAEVIA.

¿*Quid est Philosophia?* Cognitio rerum omnium non auctoritate, viâve aliâ, sed ratione adquisita.

¿*Quot partes habet?* Logicam, Fhysicam, Metaphisicam, Ethicam.

¿*Quibus de rebus agunt?* Logica de directione intellectûs in verum: Physica de corporibus: Metaphisica de ente in genere, et spiritibus: Ethica de directione voluntatis in bonum.

HAUSTUS PRIMUS.

LOGICA EMMENDATRIX.

DIALOGUS PRIMUS

DE LOGICAE NATURA.

¿*Quid est Logica?* Lux, quâ vera á falsis distinguimus.

¿*Quotuplex est Logica?* Naturalis, et Artificialis.

¿*Quid est Logica naturalis?* Lumen Naturae, quo verum videmus.

¿*Quid est Logica artificialis?* Lumen Naturae regulis adjutum, ut faciliûs et securiûs verum á falso distinguamus.

¿*Quomodo dividitur Logica artificialis?* In Dialecticam et Criticam.

¿*Quid est Dialectica?* Pars Logicae, quae nos ducit ut proprio labore verum assequamur.

¿*Quid est Critica?* Pars Logicae, quae nos ducit ut veritates ab aliis vel libris, vel verbis expositas intelligamus, atque probemus.

¿*Quomodo Logica finem suum assequetur?* Si quinque faciat: nempe emmendare intellectum peccato obtenebratum: praestare regulas, quibus veras et rectas perceptiones faciamus, recta judicia, recta ratiocinia, et rectas methodos.

DIALOGUS SECUNDUS

De mente et ejus operationibus.

¿*Quomodo Logica emmendabit mentem?* Cognoscendo intellectum, et ejus operationes, et inveniendo caussas errorum, ut eas aufferat.

¿*Quid est intellectus?* Mentis facultas, quâ percipit, judicat, ratiocinatur, et ordinat.

¿*Quid est perceptio?* Operatio intellectûs, quâ objectum cognoscit.

¿*Quid est cognitio?* Intima objecti intuitio, vel repraesentatio.

¿*Quot sunt percipiendi modo?* Sensatio, imaginatio, intellectio, reflexio vel conscientia, attentio sive meditatio, abstractio, compositio et reminiscentia.

¿*Quid est sensatio?* Cognitio objecti sensibus praesentis

¿*Quid est imaginatio?* Perceptio objecti vel absentis tamquam praesentis, vel incorpori ad instar corporis, vel demum cum aliquâ aliâ fictione repraesentati. Hoc videas in Pictoribus et Poetis.

¿*Quid est intellectio?* Perceptio objecti immaterialis sine corporeo phantasmate.

¿*Quid est reflexio?* Est cum advertimus nos cogitare. Est propterea cognitionis cognitio.

¿*Quid est meditatio?* Est vi quadam et curâ objecta et cognitiones examinare.

¿*Quid est abstractio?* Cognoscere rem tamquam separatam ab iis, quibus est conjuncta.

¿*Quid est compositio?* Cognoscere ut unita ea, quae sunt separata.

¿*Quid est memoria?* Facultas animae, qua res cognitas iterum cognoscere possumus.

¿*Quid est reminiscentia?* Exercitium memoriae.

¿*Quid est judicium?* Cognitio convenientiae vel repugnantiae duarum vel plurium idearum vel notitiarum, v. g. Deus est bonus. Deus non est injustus.

¿*Quid est ratiocinium?* Actus mentis, quo ex noto judicio per filum idearum, quarum aliae ab aliis pendent, ignota deducimus: v. g. Omnis homo est animal. Sed tu es homo. Ergo tu es animal.

¿Quid est methodus? Ordo, quo mentis operationes laborant, ut notitias et veritates recté disponant.

DIALOGUS TERTIUS

De errore et ejus caussis praecipué de internis ex parte animi.

¿In omnibus mentis operationibus esse potest error? Utique: in ideis, si non sunt objecto conformes: in judicio, si non recté unimus, vel separamus ideas: in ratiocinio, si non recte inspicimus ideas, et si non recté deducimus: in methodo, si non recté ordinamus.

¿Habemus ideas, quin eas adquiramus? Minime: nullae sunt innatae, quia si essent, infantes illas haberent, quae sunt nacessariae ad sui conservationem. Has illos non habere probat manus et oris ad ignem, lapides, et alia similia applicatio.

¿Quomodo adquiruntur? Paulatim usu sensuum, et meditatione et reflexione.

¿Sunt caussae, quae influant ut ideas erroneas adquiramus? Aliae internae, quae intra nos sunt vel in animo, vel in corpore. Aliae externae, quae extra nos sunt.

¿Quaenam sunt internae ex parte animi? Vel ignorantia, in qua omnes nascimur, vel mentis brevitas et imbecillitas intellectùs et memoriae, vel deffectus voluntatis, conjuncta cum libidine omnia sciendi: vel conjuncta cum amore proprio.

¿Quomodo ex his caussis errores nascuntur?

Quia credimus ea scire, quibus pares non sumus: quia sine ordine studemus: quia ideis confusis et incompletis sistimus: quia vacamus studiis statui nostro et genio non conformibus: quia plus justo novitatem amamus.

¿*Quomodo his malis ocurremus*? Non perquirendo ea, quae nostram capacitatem excedunt, aut sunt inutilia: studendo ordinaté, sive vacando clarioribus priusquam difficilioríbus, laborando in scientiis statui nostro conformibus, et genio aptatis: aestimando rationem sive in Veteribus, sive in Recentioribus inveniatur: Animadvertendo virtutem et scientiam esse labore comparandas, qui labor, si immoderatus non sit, nobis noxius esse non potest.

¿*Est interna alia caussa erroris*? Affectus dominantes.

¿*Quid sunt affectus*? Commotiones internae nostrae provenientes ex opinione boni, vel mali ut ira metus &c.

¿*Quomodo affectus errores pariunt*? Auferendo attentionem, retundendo mentis acumen, et repraesentando res diversas ab iis, quae re vera sunt. Id docet perpetua experientia.

¿*Quodnam erit remedium*? Affectus in ortu compescere: rationem colere, quia ignorantia affectus nutrit: examinare opiniones, quas agitati affectibus efformamus, quando serena sit men.

DIALOGUS QUARTUS

De internis errorum caussis ex parte corporis.

¿*Quomodo corpus errorum est caussa?* Suo pondere, sensuum paucitate et imperfectione, temperamento et phantasiâ.

¿*Quomodo pondus et pigritia corporis vincitur?* Contrahendo habitum studendi assiduo et non cessante labore: scribendo veritates á nobis cognitas, et bonos libros transcribendo: colendo litteratos viros, et eorum vitas legendo: cavendo á ludis, spectaculis, nimio cibo et potu, á voluptatibusque corporeis: conservando corporis sanitatem.

¿*Quomodo á paucitate et imperfectione sensuum error oritur?* Quia solum res necessarias et utiles attingunt, et illas sub aspectu utilitatis vel damni. Ergo nec omnes res monstrant, nec illarum essentias, nec omnes partes. Homo autem his non contentus latiús vagat, et errat.

¿*Quomodo hos errores vitabimus?* Si fugiamus voluptates sensuum· si credamus plura existere, quam quae sensibus exhibentur: si per sensus judicemus tantum de rerum existentiâ, et relationibus: si colamus rationem, et utamur perfectis instrumentis, quae, quando opus sit, sensus adjuvent.

DIALOGUS QUINTUS

De temperamentis, eorum vitiis, et remediis.

¿*Quot sunt temperamenta simplicia?* Quatuor: Flegmaticum, seu crassum et tardum, sanguineum, seu hilare, cholericum, seu irritabile, melancholicum, seu tetrum.

¿*Qui sunt temperamenti flegmatici caracteres?* Memoria magna et firma, parum judicii, nihil ingenii.

¿*Qui sunt caracteres temperamenti sanguinei?* Bonum ingenium, valdé exiguum judicium, laboris impatientia, et inconstantia.

¿*Qui sunt caracteres cholerici?* Acumen ingenii, judicium solidum, laboris patientia.

¿*Qui demum caracteres temperiei melancholicae?* Mentis confusio, et in excogitando et agendo singularitas.

¿*Sunt temperamenta ex aliquibus illorum simplicium mixta?* Sunt quidem: Hominesque, qui iis gaudent, tales sunt, quales sunt caracteres temperamenti in mixtione praedominantis.

¿*A quo provenit temperamentum?* A corporis structurâ, á vi fibrarum, et nervulorum, á natúrâ et motu sanguinis, et spirituum.

¿*Quaenam externae temperamentorum caussae?* Cibus et aer: nam cibo conficitur sanguis, in quo praecipua temperamenti ratio consistit: ab aere totius humanae machinae motus, et sanguinis agitatio, et natura plurimúm pendet. Hinc

pro varietate climatum varia hominum corpora, varii mores. Angli sunt melancholici, Galli sanguinei, Germani flegmatici, cholerici Hispani, inter Gallos Hispanosque medii Itali.

¿ Quomodo conficies temperamenta esse caussas errorum? Ecce. A temperamento ingenii pendet acumen, tarditas, confusio, inconstantia et pleraeque aliae mentis nostrae affectiones, ex quibus opiniones, et affectus nascuntur temperamento conformes. Hinc flegmatici feré semper dubii sunt et ancipites, melancholici fanatici, sanguinei praecipites, et rerum corticibus sibi satisfacientes, cholerici acuti, meditabundi, judicii acris, et solidi, adrogantes nimiúmque sibi attribuentes. Praeterea, á temperamento magna ex parte pendet foecunda errorum mater phantasia.

¿ Quid est phantasia? Quoddam sensuum omnium commune velut receptaculum; in quo omnes confluunt sensuum imagines.

¿ Quî fit ut phantasia errores progignat? Secundum temperamenti, ac inde secundum phantasiae naturam, imagines sensibiles, quibus objectorum notitias haurimus, miris modis augentur, minuuntur, copulantur, formas coloresque mutant. Cognitiones ergo nostrae phantasiae colorem imbibunt, ex quo errores ducunt originem. Adde quod opiniones phantasticae facillimé haberi possunt pro sensationibus, si phantasia sit paulo vividior. Insuper: phantasia, dum in omnibus cogitationibus nostris se admiscet, efficit quod, aut non possimus intelligere incorporea, et abstracta, aut, dum intelligere conamur, ea velut corpora nobis repraesentemus.

¿*A quo provenit phantasiae vivacitas?* A sanguinis calore, et copiâ, à robustiori cerebri temperie, et faciliori fibrarum irritatione. Eò itaque vividior et fortior erit phantasia, quó homo robustior, calidior, irritabiliorque fuerit. Hinc agrestes, et rudes populi vividissimâ sunt phantasiâ.

¿*Robustior est phantasia in iis, qui supra alios rationem colunt; an in iis, qui infra alios?* Quo debilior est ratio, eó robustior est phantasia. Hinc videmus in pueris, foemelis, idiotisque populi magnam esse phantasiae vim.

¿*Quid faciendum, ut quoad fieri possit, temperamenti, et phantasiae inordinatio corrigatur?* Variae regulae servandae sunt. Quilibet sui temperiem attenté perpendat, cognitio enim morbi remedii est, ut dicunt, inventio.

Qui temperamento gaudent sanguineo has regulas servent. 1. Si phantasiâ nimis vividâ, et inconstanti se esse sentiant, caveant ne ex phantasiâ judicent de rerum naturis, neve sûi affectiones rerum naturae tribuentes eam aestiment, non qualis est, sed qualis eis videtur.

2. Ab iis omnibus caveant, quae vim phantasiae majorem et inconstantiorem facere solent, veluti spectacula, pompae, poetarum, fabularumque romanentium lectio, loca nimium amoena, quae animum quasi diluunt, et ea omnia, quibus ipse animus aequo justiûs exhilarescit, ratio imminuitur, et, quod consectarium est, vires phantasiae intenduntur.

3. Continuatae lectioni, meditationi, aequabili vitae ordini assuescant: malis enim omnibus constans patientia medetur. Caveant á praecipi-

tatis judiciis, in pueriles enim ineptias proni sunt sanguinei, in quibus plus ingenii est, quam judicii.

¿*Quid faciendum iis, quibus tetrum, et melancholicum temperamentum?* 1. Temperamentum istud potest mitescere delectû ciborum, ex quibus bonus sanguis procreari possit, et remediorum eorum usu, quibus cerebrum quasi á fuligine, nebulâque humorum valeat elui. Hinc est quod lacrimae melancholicis sint valdé utiles.

2. Cavendum est ab spectaculis tragicis, á tragoedorum lectione, iisque omnibus, quibus, aut incalescat animus, aut tristetur.

3. Confusio mentis minuenda lectione librorum perspicuorum, et methodicorum, praesertim de rebus Geometricis.

4. Abstinendum á praecipitatis judiciis. Judicia iterum, atque iterum ponderanda. Melancholicis enim ii inter mortales sunt, qui magis ex animi sui colore de externis rebus judicare soleant.

¿*Quasnam praescribis regulas iis, qui temperamento tardo et phlegmatico polleant?* 1. Excitentur aemulatione aequalium, sapientiae amore, librorum criticorum lectione, Virorum perspicacium, criticorum et eloquentium conversatione.

2. Loca humida, et crassa fugiant et cibos crassiores.

3. A commercio cum tardis et tetris caveant: mores enim conversatione transmeant, et phantasia nostra pingitur ex eorum genio, quibus saepe, et familiariter conversamur.

¿*Quid iis praescribendum, qui temperamen-*

tum cholericum habeant? Ad eorum adrogantiam coercendam iis est praecipiendum ut omni in re sensum communem, optimum sciendi magistrum, consulant: ut sibi solis non fidant. His servatis, ab erroribus erunt liberi, in quos incident ea tentando, quibus fortè sunt impares.

DIALOGUS SEXTUS

De externis errorum caussis.

¿*Quae sunt externae errorum caussae?* Parentes, Populus, Magistri.

¿*Quomodo Parentes?* Vel non educando filios, vel malé educando doctrinâ, et exemplo.

¿*Quomodo Populus errores producit?* Ingerendo, et fovendo praejudicia.

¿*Quomodo Magistri?* Moribus, quos imitantur juvenes: doctrinâ, falsa, aut ab iis satis non intellecta tradendo, atque mala methodo ea explicando. Nocent etiam Magistri auctoritate.

¿*Per Magistros intelligis tantúm eos, qui viva voce docent?* Intelligo etiam libros.

¿*Quomodo ab his malis eruemur?* Si malé educatus es, de novo disce. Utere amicis perspicacibus et sinceris, qui te corrigant: vulgus fuge, et ne adoptes ejus opiniones: non jures in verba magistri: eclecticam, seu electivam rátionem philosophandi seqüere, quâ mala rejicias, bona probes.

HAUSTUS SECUNDUS.

LOGICA INVENTRIX.

DIALOGUS SEPTIMUS.

DE NATURA ORIGINEQUE IDEARUM.

¿*Postquam emmendatus est intellectus*, *quó duci debemus*? Ad inveniendas ideas, et perceptiones faciendas.

¿*Quomodo mens percipit*? Objecta externa in sensus agunt, et eorum organa movent. Motus communicatur usque ad phantasiam, vel sensum communem, in cerebro: ibi mens, commotionem advertens, objecti moventis imaginem aut ideam format, et eâ objectum percipit, aut cognoscit. Has ideas copulando, vel componendo, meditatione alias format.

¿*Ergo quomodo invenimus ideas*? Sensatione, et meditatione.

¿*Quid est ergo idea*? Imago objecti, quod mens cognoscit.

¿*Quare mens sine ideis non cognoscit*? Quia objecta nequit cognoscere, quin intra se ipsam illa videat. Objecta non possunt in mentem ingredi. Ergo exhibentur eorum imaginibus.

DIALOGUS OCTAVUS

De variis idearum generibus.

¿Quomodo ideae dividuntur? Ratione originis, naturae, relationis ad objecta, et relationis ad mentem.

¿Quomodo dividuntur ratione originis? In innatas, adventitias, et factitias.

¿Quid idea innata? Quam Deus menti in creatione impressit. Hae non existunt.

¿Quid ideae adventitiae? Illae, quae á sensibus proveniunt.

¿Quid factitiae? Illae, quas mens conficit vel conjecturà, vel ratiocinio, vel alias ideas uniendo, vel aliis quibuscumque modis: v. g. idea montis aurei.

¿Quomodo ideae dividuntur ratione naturae? In phantasticas, commentitias, intelligibiles, simplices compositas, et associatas.

¿Quid est idea phantastica? Quae res corporeas aut incorporeas ad instar corporis repraesentat.

¿Quid sunt commentitiae? Quae non veniunt á sensibus, sed ex nostro arbitrio. Hae vocantur entia rationis.

¿Quid sunt intelligibiles? Quae nec corpus, nec res ad instar corporis repraesentant v. g. Idea virtutis.

¿Quid sunt ideae simplices? Eae, quibus nullomodo partes distinguuntur.

¿*Quid sunt ideae compositae?* Illae, quibus plures ideas distinguimus: v. g. Idea extensionis, ubi tres dimensiones advertimus.

¿*Quid sunt ideae associatae?* Illae, quae sunt velut aggregatae. et non mixtae, unum totum componentes, v. g. idea fulguris et tonitrui.

¿*Quibus modis associamus ideas?* Vel sensibus, ut in ideis fulguris et tonitrui, vel necessario ratiocinio, ut in ideis Mundi et Creatoris, vel educatione, ut in ideis obscuritatis et larvae terrentis, vel phantasiâ; ut in ideis Poetarum.

¿*Quae ex istis sunt reales?* Primae, et secundae, quia pendent á principio naturali, et fixo. Non tertiae et quartae, quia manant á re variabili, et plerumque erronea.

¿*Quomodo ideae dividuntur ratione objectorum?* In positivas, negativas, singulares, particulares, universales, absolutas, relativas, abstractas, concretas, reales et chimericas.

¿*Quid est idea positiva, quid negativa?* Prima repraesentat quid res sit, secunda quid non sit v. g. idea tenebrae, quae est lucis privatio.

¿*Quid sunt ideae singulares, particulares et universales?* Singularis est, si repraesentat individuum, v. g. Petrum vel Paulum. Particularis, si represental rem aliquibus communem, v. g. idea imperatoriae dignitatis: Universalis, si repraesentat rem pluribus communem v. g. Idea humanitatis. Hae ultimae ideae non sunt reales, quia in Naturà sunt tantúm individua.

¿*Quotuplex est idea universalis?* Genus, species, differentia, proprium, sive proprietas, et accidens.

¿*Quid est genus?* Idea communis pluribus specie diversis, v. g. idea animalis.

¿*Quid est species?* Generis et differentiae unio, v. g. idea irrationalis.

¿*Quid est differentia?* Atributum, quo res á re differt, v. g. Rationalitas.

¿*Quid est proprium?* Quod non spectat ad essentiam, sed, eâ positâ, illud consequitur, v. g. ridendi facultas in homine.

¿*Quid est accidens?* Quod adesse, et abesse potest, salvâ rei essentiâ v. g. calor in aqua.

¿*Quotuplex est genus?* Vel supremum et remotum, quo nullum est amplius, v. g. res· vel medium, quo amplius est aliud, et aliud minus amplum, ut corpus: vel infimum aut proximum, et est minús caeteris omnibus amplum ut animal.

¿*Quotuplex est differentia?* Generica, quâ differunt genera inter se; specifica, qua differunt species; et numerica, quâ differunt individua.

¿*Quid est idea absoluta, quid relativa?* Absoluta est, quae cum alia non habet relationem: relativa, quae cum alia nexum habet, *ita* ut, unâ habitâ, alia habeatur, v. g. ideae Magistri et Discipuli.

¿*Quid est idea relationis?* Idea nexus, quo ligantur duae ideae relativae, v. g. idea doctrinae, quae ligat Magistrum et Discipulum

¿*Quid est idea abstracta, quid concreta?* Prima est, quae consideratur separata ab aliis, quibus est conjuncta, v. g. idea longitudinis in corpore: secunda, quae exhibetur conjuncta cum aliis, v. g. idea corporis, quod constat soliditate, extensione &c.

¿*Quid est idea realis, quid chimerica?* Realis est, cui extra mentem objectum respondet, chimerica, cui non respondet, v. g. idea montis aurei.

¿*Relatione ad mentem, quotuplex est idea?* Clara, obscura, distincta, confusa, adequata vel completa, et inadequata sive incompleta.

¿*Singulas deffinias?* Obscura est, quâ non distinguitur quid res sit, v. g. idea rei, ad longum visae, quae exhibet solúm, quod dicitur *un bulto*: Clara, quà distinguitur res ab aliis; v. g. video hominem; sed nescio quis sit: Distincta, si aliquas notas cognosco, v. g. hominem visum esse altum et album. Confusa est, si notas non cognosco. Completa est, si omnes notas et notarum notas nosco. Incompleta viceversa.

DIALOGUS NONUS

Observationes circa ideas.

¿*Quid circa ideas á Logica curandum?* Ut, quoad fieri possit, ideas omnes veras ac reales habeat, et claras, et, si possit fieri, distinctas

¿*Quaenam clarae et reales effici possunt?* Non ideae essentiarum, quia essentias non possumus cognoscere, eo quod ad intimam rerum cognitionem non attingimus. Non omnes ideae relationum, quia, cum sint plures et difficiles, aliquando nos fugiunt. Utique autem ideae existentiae, quia existentias, ut plurimúm, coguoscimus, si sensus bene dirigamus: et etiam ideae sensatione habitae, vel necessario ratiocinio.

¿Quid faciendum, ut idas claras et reales adquiramus? Servare has regulas.

1ª Non deffiniás ideas simplices; sed deffine, quantum possis, compositas.

2ª Confide in ideis adventitiis, et simplicibus, et examina prolixiús caeteras.

3ª Cave á judicio rerum ferendo per ideas abstractas et universales.

4ª Non tuis phantasticis sistematibus, sed experientiâ et meditatione de rebus judica.

5ª Non credas esse ideam adequatam, nisi quando certo scias nil in re superesse noscendum.

DIALOGUS DECIMUS

De objectis idearum.

¿Quaenam sunt idearum objecta? Res illae, quarum sunt imagines. Sol, v. g. est objectum ideae Solis.

¿Quomodo dividuntur objecta? In existentia, futura, et possibilia. Dividuntur haec in substantias, attributa, proprietates, et accidentia; et haec in caussas et effectus.

¿Quid sint existentia, futura, et possibilia patet? ¿Quid est substantia? Quod alio, cui inhaereat, ad existendum non indiget, ut corpus.

¿Quid est attributum? Quod pertinet ad essentiam, v. g. animalitas in homine.

¿Quid sit proprium, sive proprietas, quid sit accidens jam supra deffinitum est in hocce haustu? ¿Quid est caussa, quid est effectus?

Caussa est id, á quo aliquid gignitur, aut fit. Effectus est, quod á caussis fit.

¿*Quotuplex est substancia?* Spiritualis, et corporea. Prima est vel perfectissima et independens, ut Deus, vel dependens et corpori unita, ut anima hominis, vel dependens et non destinata ad corpus, ut Angelus. Corporea est animata, vel quae habet vim internam et suam ad motum, et dicitur animal, vel inanimata, quae hac vi caret ad motum.

DIALOGUS UNDECIMUS

De modo manifestandi ideas.

¿*Quo manifestamus internas animi operationes?* Signis.

¿*Quid est signum?* Quod duas continet ideas, unam propriam, quâ aliam repraesentat, et hanc aliam, quae representatur: v. g. fumus, qui ignem demonstrat.

¿*Quotuplex est signum?* Naturale, arbitrarium, et artificiale.

Deffinias omnia. Naturale á Natura significat, ut fumus ignem. Arbitrarium á voluntate libera, ut ramus vinum vendibile. Artificiale á voluntate, seu aliquâ ratione, et regulâ ducta, ut videtur in aliquibus vocibus, v. g. mugire, balare &c., quae taurorum, et arietum sonos editos imitantur.

¿*Quomodo vocantur signa, quae ideas manifestant?* Voces, vel vocabula, vel termini.

¿Quomodo vocantur signa, quae exhibent affectus? Gestus vel vocis toni.

¿Haec et illa sunt naturalia signa? Gestus et toni sunt naturales, quia omnes homines eodem modo iis utuntur; voces sunt arbitrariae, quia variant pro Nationum varietate; sed sunt artificialia signa, quia cum aliqua consideratione ad objectum expressum solent esse efformatae.

¿Quas regulas figis ut rectiús vocabula intelligamus, et iis utamur? Varias.

1ª Quilibet vocabulo figit ideam, quam habet objecti expressi.

2ª Vocabula intelligenda sunt juxta mentem loquentis.

3ª Nulla sunt vocabula distincta, quia non possunt rei significatae gradus explicare, nisi agatur de ideis simplicibus, quae exacté metiri valeant, ut res mathematicae.

DIALOGUS DUODECIMUS

De fine et usu vocabulorum.

¿Quotuplex est finis vocabulorum? Duplex: vel inserviunt, prout dictum est, ad ideas explicandas, vel ad memoriam juvandam.

¿Quomodo serviunt memoriae? Quia ideae vocabulis nexu arctissimo uniuntur, et inde est, quod sint velut imagines idearum, et eas mente faciliús et profundiús figant.

¿Quotuplex est usus vocabulorum? Duplex, civilis, et philosophicus.

¿Quinam usus civilis? Ille, quo vocabulis ui-

mur non exacté, sed crassé, rem exprimendo eo modo, qui sit sufficiens, ut intelligamur in civili communicatione cum aliis: v. g. Hispanicé dico *colorado*, ut rubrum designem, et philosophicé loquendo *colorado* est, quod colorem aliquem habet.

¿*Quid est usus philosophicus?* Ille, quo utimur vocabulis exacté, id est, explicando ideas praecisé, distincté, facilé et breviter.

HAUSTUS TERTIUS.

Logica iudicatrix.

DIALOGUS DECIMUS TERTIUS

De vero et falso, et de animi statibus quoad veritatem.

¿*Postquam homo invenire scit primas ideas, quo á Logico ducendus est?* Ut ea judicando recté jungat, vel disjungat, quo veritas sita est.

¿*Quando recte junget, et disjunget: vel quando erunt vera, et falsa judicia?* Quando conformia uniat, et difformia separet, erit judicium verum: quando é contra falsum.

¿*Quae dicuntur conformia, et difformia?* Si idea una in alia reperiatur, erunt conformes; si non reperiatur, difformes.

¿*Quid est veritas?* Conformitas rei cujusvis cum sua regula.

¿*Quotuplex est veritas?* Moralis, Realis, seu Metaphisica, et Logica.

¿Quid sunt hae veritates? Moralis est conformitas idearum cum signis, quibus exprimuntur. Huic opponitur mendacium. Realis est conformitas rei cum ideis aeternis Dei. Huic nihil opponitur, cum res omnes fecisset. Deus suis ideis respondentes. Logica veritas est conformitas idearum, et judiciorum cum objectis. Huic opponitus falsitas, vel error.

¿Quaenam sunt regulae harum veritatum? Moralis intimus sensus, realis mens ipsa Dei, vel essentiae rerum ipsi conformes, logicae objecta cognita.

¿Quot sunt animi status respectu veritatis? Quatuor; status ignorantiae, dubii, opinionis, et certitudinis.

¿Qui sunt hi status? Ignoramus, quando nullas, aut non exactas ideas habemus. Dubitamus, quando judicium suspendimus: si suspendimus quia nec ad affirmandum, nec ad negandum rationes habemus, adest dubium negativum: si quia pro utraque parte sunt aequales rationes, adest dubium positivum. Opinamus, vel habemus probabilitatem, quando ex una parte sunt rationes, sed ex altera graviores, et huic mens adhaeret, sed cum timore alterius: certitudinem habemus, quando sunt rationes pro una parte, et non pro alia, et securitate mens affirmat vel negat.

DIALOGUS DECIMUS QUARTUS.

De scientia, et fide.

¿Possumus esse certi de re aliqua, quin ra-

tio et experientia eam suadeant? Utique, et tunc habemus fidem.

¿*Et si sumus certi de re evidenter ratione et experientiâ eam videndo?* Tunc habemus scientiam.

¿*Quid est scientia?* Cognitio certa, et evidens, usu rationis adquisita.

¿*Quotuplex est?* Simplicis intuitionis: talis est, quam habemus sola collatione idearum, ut scientia axiomatum: et demonstrationis, quae ratiocinio gignitur, ut scientia Teorematum.

¿*Quid est evidentia?* Summa et vivida perspicuitas in cognoscendo.

¿*Quotuplex est?* Mathematica, Physica et Moralis.

Singulas explica. Mathematica est in propositione, cujus oppositum est intrinsecús impossibile v. g. Totum est sua parte majus: Physica in propositione, cujus oppositum cum ordine Mundi pugnat, v. g. Diem nox sequitur. Moralis respectu propositionis, cujus oppositum pugnat cum fide probis hominibus debita v. g. Extitit Roma.

¿*Quid est fides?* Est certitudo ab alterius auctoritate exorta. Si auctoritas sit Dei, est fides divina. si auctoritas sit hominum, est fides humana.

DIALOGUS DECIMUS QUINTUS

De veritatis tessera vel criterio.

¿*Quid est veritatis criterium?* Motivum. quo

de veritate judiciorum certi esse possumus.

¿*Extat tale criterium?* Negavere Pirronici, sed errarunt; quia licet ignoremus plura, aliqua evidenter videmus. Dubito de omnibus, ait Pironicus. Ergo saltem aliquid scis, nempe te dubitate, objiciam.

¿*Quonam est veritatis criterium?* Veritatibus intellectione adquisitis evidentia mathematica: veritatibus sensibus habitis evidentia physica: veritatibus ad facta attimentibus evidentia moralis.

¿*Quis est evidentiae judex?* Intima conscientia affectibus libera, et sensus optimorum communis.

¿*Quas regulas praxi utiles ex dictis deduces?* Has tres.

1.ª Quae ab omnibus, vel á pluribus peritis clariora putantur, praeferenda sunt iis, quae putantur obscuriora.

2.ª Quae á Peritis disputantur, inter dubia, aut probabilia habebo.

3.ª Si pugnent inter se evidentiae, examinabo utrum in aliqua evidentia aestimanda sim deceptus. Si adhuc pugnent, praeferam mathematicam physicae, physicam morali, et omnibus Dei auctoritatem, utpote infallibilem.

DIALOGUS DECIMUS SEXTUS.

De probabilitate.

Probabilitas, quam antea deffinisti. ¿*Quotuplex est?* Intrinseca, quae formatur ex argumen-

tis sumptis ex fontibus, unde manant veritates, de quibus agatur, v. g. ex ratione in Philosophia, et ex auctoritate in Teologia: et extrinseca, quae formatur ex argumentis unde non manant, v. g. ex auctoritate in Philosophia.

¿Quibus augetur probabilitas nixa ratione et experimentis? Argumentorum numero, et eorum pondere.

¿Quaenam argumenta sunt ponderosiora? Quae habeant consequentias proximiores principiis, ex quibus ducuntur, et quae minores habeant exceptiones, id est, quae concludant non pluribus diversis, sed paucioribus modis.

¿Quibus augetur probabilitas hominum auctoritate nixa? Non número testium, sed eorum scientia, capacitate, et probitate.

¿Quas regulas hàc super re tradis? Tres.

1ª Probabilior est opinio, quae pluribus intrinsecis argumentis paris gravitatis, ac contraria, nitatur.

2ª Si par est argumentorum numerus, illa opinio est probabilior, quae habeat unum, aut plura graviora.

3ª Quae argumenta habeant consequentias proximiores principiis, vel patiantur minores exceptiones, sunt graviora.

DIALOGUS DECIMUS SEPTIMUS.

De viis, quibus ad veritatem tendimus, generatim consideratis.

¿Quot viis itur ad veritatem? Quatuor: in-

timo sensu, ratiocinio, experientiâ, auctoritate.

¿Quomodo iis utemur? Intimo sensu videmus res, quae intra nos sunt, externas sensibus non subjectas ratiocinio: externas sensibus subjectas experientiâ, res, quae captum superant, aut quia ad divina misteria pertinent, aut quia remotis locis, vel temporibus acciderunt, auctoritate.

¿Quomodo recté iis viis progredimur? Illas vias excolendo; non quaerendo per unam, quae per aliam quaeri debent: examinando attenté res per eas cognitas, ut non fallamur: et demum excolendo artem deducendi consequentias ex inventis veritatibus.

DIALOGUS DECIMUS OCTAVUS.

De recto sensuum usu.

¿Quas res cognoscimus sensibus? Externas iis subjectas, et in illis non essentias, quae ad intima pertinent, sed existentias, quia, quae in sensus agunt, existunt: Ast existentiam non exiguissimarum, vel distantiorum rerum.

¿Quid sensibus efficimus? Experimenta, id est, applicare corpora ad corpora ut in se agant, et videamus effectus: et observationes, id est, attenté inspicere phoenomena, vel effectus naturales sensibus subjectos.

¿Quae sunt expertori et observatori facienda? Adhibere instrumenta optima, et homines, qui ea moveant, peritos. Diversis locis et occasionibus experimenta et observationes iterare: accedere ad has operationes absque admisso sistemate:

et recté consequentias ex observatis et expertis ducere.

¿ *Quomodo consequentiae recté ducentur?* Si caussae possibiles omnes quaerantur, et inter ipsas qui verus sit fons effectús determinetur.

DIALOGUS DECIMUS NONUS.

De auctoritate humana et divina.

¿ *Quando scriptor narrat, vel historiam tradit?* Quando cogitata, dicta, aut facta, suo, vel praeterito tempore, á suis, vel ab extraneis profecta tradit.

¿ *Quotuplex est historia?* Politica, naturalis, et litteraria.

Eas deffinias. Politica historia narrat res, quae hominibus accidunt; et vocatur divina, si res dicat, quae Deus erga homines, vel apud homines gessit; ecclesiastica si narret, quae homines erga Deum gesserunt: profana enuntiat res hominum nec sacras nec divinas

Historia naturalis refert phoenomena, observationes et experimenta de rebus corporeis.

Litteraria historia profert scripta et opiniones Litteratorum, et origines progressusque scientiarum et artium.

¿ *Quid requiris in historico, vel teste, ut ipsi assensum praestes?* Scientiam facti, ut non fallatur, probitatem, ut me non fallat.

¿ *Quando credes scientiam facti habuisse?* Quando facto est contemporaneus, et loco proximus, íd est, si est coevus, et domesticus; et si

atlis non est, quando ex documentis fide diginis notitias sumpsit.

¿Quando credis probitatem habere? Quando constet mendaciis non fuisse propensum, mendacia in scriptis non possuisse, non fuisse parti alicui addictum, nec scripsisse stili colendi caussia.

¿Quando narratio erit certó falsa? Quando rationi pugnet, vel moribus temporis, de quibus loquitur.

¿Quem dices hominem á Deo inspiratum? Illum, qui non venditet ut inspiratas res pietati, et moribus adversas, et in quo non reperiam motivum, ob quem illum intererit mentiri inspirationes· deinde si prophetiâ et miraculis veram doctrinam confirmet. demum si Ecclesia eum inspiratum credat.

DIALOGUS VIGESSIMUS.

QUA RATIONE VERBA AUCTORIS DISCERNANTUR AB IIS, QUAE AUCTORIS ILLIUS NON SUNT, ET DE LIBRORUM MENDIS.

¿Quando credes doctrinam auctoris alicujus suam esse? Quando liber sit genuinus, hoc est, auctoris, cui tribuitur; quando constet librum non esse mutilatum, id est, aliquibus spoliatum, nec interpolatum, id est, in aliquibus additum.

¿Unde hoc sciam? A coevis Auctoribus, et quoad divinos libros ab Ecclesia.

¿Quibus á caussis menda librorum veniunt? A librariis, qui negligentiâ, vel ignorantiâ malé

scripserunt: á criticis, qui perperam interpretati sunt: ab impostoribus, qui ob commodum aliquod mutilarunt, vel addiderunt aliquid: et á tempore litteras et chartas consumente, et destruente.

DIALOGUS VIGESIMUS PRIMUS.

QUOMODO SIT DE PROPOSITIONIBUS JUDICANDUM.

¿Quo utimur ad judicium manifestandum? Propositione. Est ergo propositio oratio aliquid de aliquo affirmans vel negans.

¿Quot sunt partes propositionis? Subjectum de quo affirmatur, vel negatur, praedicatum, quod affirmatur vel negatur, copula aut verbum, quo unimus, vel separamus, si addatur ipsi particula negativa. Nota aliquando non exprimi haec tria, sed subintelligi aliqua: v. g. amo: aequivalet huic: ego sum amans.

¿Quomodo dividitur propositio? In primis vel ratione materiae, aut terminorum, ex quibus constat, vel ratione formae, aut conjunctionis et disjunctionis terminorum.

¿Quotuplex est propositio ratione materiae? Simplex, complexa, et composita.

¿Quid est propositio simplex? Quae unico constat subjecto, et unico praedicato.

¿Quid est propositio complexa? ¿Quid composita? Composita est, si pluribus subjectis, vel praedicatis constat unitis ad unam propositionem efformandam. Complexa, si sunt duae saltem propositiones aggregatae, et una intra aliam.

¿Quomodo vocatur illa, cui alia aggregatur? Principalis.

¿Quomodo vocatur illa, quae aggregatur? Incidens, et est explicativa, si principalem explicat, vel ornat Amplificativa, si principalem extendat ad magis, quam quod sine incidenti extenderetur: restrictiva, si, illâ positâ, restringitur principalis ad minus significandum.

Profer exempla. Deus est bonus et justus, est composita: Adam, qui fuit omnium hominum pater, mortuus est: est complexa cum incidenti explicativa, *qui fuit omnium pater*. Studiosi, vel qui rudimenta scientiarum sumpserunt, rumores populares non sequuntur, habet incidentem amplificativam. Homines, qui sapientes sunt, vera vident, restrictivà incidenti constat.

¿Incidentes influunt in veritatem principalium? Utique, si explicativas incidentes excipias.

¿Quotuplex est propositio composita? Expressé compositae, et latenter compositae: in primis apparet compositio; non in secundis.

¿Quotuplex est propositio expressé composita? Conjunctiva, disjuntiva, conditionalis, caussalis discreta, et relativa.

¿Quid est propositio conjunctiva? Illa, quâ partes conjungunt particulae et, atque, neque &c. v. g. Deus est justus, et misericors. Ut vera sit, requiritur omnes partes veritatem habere, quia totum, quod enuntiatur, affirmatur aut negatur.

Disjunctiva est illa, quâ partes disjungunt particulae aut, vel &c. v. g. Aut moriendum, aut vincendum Ut vera sit requiritur quod non sit

medium: sic erit falsa haec: aut est hiems, aut ver.

Caussalis unit partes particulis quia, ideo, &c. Vera erit, si una pars est vera caussa alterius. Hinc erit falsa haec: Ideo scis, quia ambulas.

Discreta continet duo judicia de eodem subjecto, unum ajens, alterum negans, v. g., Qui trans mare currit, mutat coelum, non animum.

Relativa unam partem ad aliam refert v. g. sicut vita mors.

Conditionalis unit membra particulis si, dum &c v. g. si studes, scies. Vera erit si inter partes sit connexio: falsa ergo erit haec: si pluit, scies.

¿Quotuplex est propositio latentér composita? Exclusiva, exceptiva, comparativa, inceptiva, et desitiva, et reduplicativa.

¿Quid est propositio exclusiva? Exclusiva continet particulas exclusionem notantes, v. g. Deus tantúm est aeternus: includit has duas, Deus est aeternus:: nulla alia res est aeterna. Si particula excludens afficiat subjectum, dicitur propositio de subjecto excluso: si praedicatum, dicitur de praedicato excluso.

¿Quid est propositio exceptiva? Quae aliquid excipit ope particularum praeter, vel similium, v. g. Omnia sunt mortalia praeter spiritus. Aequivalet his: spiritus sunt immortales, caeterae creaturae sunt mortales.

¿Quid est propositio comparativa? Quâ comparatio instituitur. v. g. Sol est major Luna. His respondet. Luna est magna, sed Sol est major.

¿Quid sunt propositiones inceptivae et desitivae? Quae rei alicujus finem, et alterius initium significant. v. g. A Christo lex gratiae viguit. Aequivalet his: ante Christum lex gratiae non vigebat. Post Christum lex gratiae viget.

¿Quid est propositio reduplicativa? Quae duplicat aliquem terminum. v. g. Non coluerunt sicet Deum. His respondet. Coluerunt quidem, sed non coluerunt ut Deum.

¿Quotuplex est propositio ratione formae? Necessaria, contingens, possibilis, impossibilis, absoluta et modalis.

Singulas explica. Necessariâ termini sunt naturâ suâ conjuncti, vel disjuncti. v. g. Deus est bonus: contingenti non necessarió. v. g. Homo, est dives. Possibili termini uniri valent, vel separari. v. g. Eris Logicus impossibili nequeunt uniri, vel separari: v. g. Deus est malus, Deus est bonus: in absoluta non exprimitur modus unionis, vel disjunctionis: v. g. Deus est bonus. In modali exprimitur v. g. Deus est necessarió bonus.

¿Quot propositiones simplices e compositâ efformantur? Tot, qúot sint subjecta, vel quot sint praedicata: si plura sunt praedicata, et subjecta, tot, quot sit productum subjectorum per praedicata multiplicatorum.

DIALOGUS VIGESIMUS SECUNDUS.

De reliquis propositionum affectionibus.

¿Quot sunt reliqua in propositione notanda¿ Quantitas, qualitas, oppositio.

¿*Quid est propositionis quantitas?* Subjecti extensio. Si est terminus universalis, propositio est universalis. Signum universalitatis est omnis, nullus. Si subjectum est particularis terminus expresus cum signis quidam, aliquis. est propositio particularis. Singularis est, si subjectum est individuum, vel terminus dessignatus cum limitatione ad individuum, ut hic homo, homo, qui mecum loquitur nunc, &c. Si nullo signò subjectum afficiatur, propositio vocatur indefinita. Haec universali aequivalet, si necessaria est, particulari, si sit contingens.

¿*Quomodo praedicatum sumitur?* In propositione ajenti particulariter, in neganti universaliter.

¿*Quid est qualitas propositionis?* Affirmatio et negatio Ratione qualitatis ergo propositio est ajens, et negans.

¿*Quid est oppositio propositionum?* Pugna duarum propositionum eodem subjecto, et praedicato constantium. Si pugnant quantitate, dicuntur subalternae; si qualitate, et sint universales, contrariae: si particulares, dicuntur subcontrariae. Si pugnant quantitate et qualitate sunt contradictoriae.

Regulas oppositionis statuas Ex contradictoriis, si una est vera, alia est necessarió falsa. In materia necessaria; ex contrariis si una est vera, alia falsa. Ex subcontrariis, si una falsa alia vera esse potest. Ex subalternis si una falsa, alia vera. In materia contingenti: ex contrariis si una falsa, falsa alia esse potest. Ex subcontrariis si una vera, alia vera esse potest

Ex subalternis potest esse una falsa, et alia vera.

¿Cui usui haec doctrina inservit? Praecipuus est ad convincendum eum, qui nobiscum disputet. Cum ex oppositis utrumque nequeat esse verum, si quis propositionem veram neget, oppositam ei faciemus, quam, si neget, contradicitur.

DIALOGUS VIGESIMUS TERTIUS.

De arte hermeneutica, sive interpretandi.

¿Sunt regulae ad interpretandum? Aliae internae, aliae externae.

Externas afferas. Linguam, in quâ scriptus est liber. interpres sciat, quia nequeunt esse versiones perfectae. Emmendatissimos codices habeat. Sciat Scriptoris patriae antiquitates, mores, religionem, et formam regiminis. Spectet finem, quem Scriptor sibi proposuit. Praeferat interpretationem eorum, qui Auctoris fuerunt discipuli, familiares, coevi [illegible]

Internas regulas produc. Verba naturali sensu, vel litterali sensu accipe, non translativo, modo litteralis nullam, aut Auctoris instituto contrariam sententiam offerat Obscura loca explica per clariora. Ritè lege, id est ordine et non interruptè, et non tantum quantum memoria nec capiat, nec digerat. Annotationes Sapientum consule. Praeter has regulas hanc aliam scripturis sacris observabis, nempe, eas intellige juxta totius Ecclesiae catholicae sensum, et regulas.

HAUSTUS QUARTUS.

LOGICA RATIOCINATRIX.

DIALOGUS VIGESIMUS QUARTUS.

DE NATURA RATIOCINII ET DE IIS, QUAE AD ILLUD FORMANDUM REQUIRUNTUR.

¿Quando recte scimus conjungere vel separare ideas per judicium, quó ducendî sumus? Ad recté ratiocinandum, vel deducendum.

¿Quid efficimus ratiocinando? Habemus aliquid notum: quaerimus illud, quô medio, ad alterum, cum illo primo conjungendum, vel separandum veniamus. Ergo ratiocinando affirmamus vel negamus unum de alio per aliud.

¿Quomodo id efficimus? Si ex tribus illis duo conveniunt cum medio, dicimus affirmando illa duo, quae vocamus extrema, convenire inter se. Si ex extremis unum convenit cum medio, aliud non convenit, dicimus negando non convenire sub illâ relatione inter se, Ergo in ratiocinio sunt tres termini, et tres comparationes, seu propositiones; illa, per quam incipimus, vocatur principium, secunda applicatio, tertia conclusio vel consequens.

¿Quo differt ratiocinium ab aliis intellectûs operationibus? Per perceptionem cognoscit mens unum tantum objectum, aut simplex, aut compositum. Per judicium cognoscit unam ideam contineri in alia, et affirmat, vel non contineri, et negat. Per ratiocinium cognoscit mens unam ideam

contineri in alia, et illam, in qua haec tertia continetur, contineri in prima, ac propterea hanc tertiam, mediante secundâ, contineri in prima: vel cognoscit mens secundam non contineri in prima, vel tertiam non contineri in secunda, ac proinde tertiam non contineri in prima. Ergo perceptio est cognitio objecti. Iudicium est cognitio convenientiae, vel non convenientiae duorum objectorum vel idearum. Ratiocinium est cognitio deductionis unius ideae ex alia per aliam.

¿Quid requiritur ad ratiocinandum? Quinque: Primum mentis capacitas, id est, numerus idearum, quas memoria exhibeat, ut habeamus res notas requisitas ad ratiocinium.

¿Quomodo memoria augetur? Exercitio. Ordinando ideas, ad quod pervenimus, si legamus bonos libros, si cum doctis Viris conversemur, et Naturam observemus: et demum si ideas jam adquisitas in series varias connexas disponamus: Nobis sub initio ideas vividé repraesentando, et eas scribendo, et relegendo.

¿Prosequere alias res necessarias ad ratiocinandum? Secundum, facilitas prompté percipiendi ideas, et earum relationes. Si enim obscuré, et tarde eas percipimus, nota prompta non habebimus, ex quibus deducamus.

Tertium: soliditas mentis, id est, mens ideis realibus dives: si ideis realibus careamus, super inutilia, et mundum á nobis confictum ratiocinabimur.

Quartum: attentio; sine eâ enim in difficili ratiocinii opere non faciemus progressus.

Quintum: regulae, quia sine iis in difficili

principiorum inventione, in difficiliori applicatione, in difficilimo opere deducendi recté consequentias errabimus.

¿Quibus soliditas mentis adquiritur? Librorum optimorum lectione: exercitatione super res difficiles, et utiles: utilibus disputationibus, et studio matématis.

¿Quibus augetur attentio? Excitando in nobis Sapientiae amorem, advertentes bona, quae ex ea oriuntur, ut sunt nostrî cura, et conservatio, honores, divitiae et voluptas in adquisitione veritatum aliis ignotarum. Considerando scientiam novas et puras voluptates invenire facere, et habitas á nobis omnes purgare, et rectificare. Inflammando nos emulatione, et praemiorum inhiatione: ideas abstractas sensibilibus imaginibus nobis exhibendo. Utendo disputatione, elatione vocis, frontis frictione, modicis vini haustibus, et similibus. Demúm ordinando studia, et ideas, ita ut claré eas videamus: si enim ordo est obscurus, labor magnus requiritur ad veritates perquirendas, intelligendasque, et attentio frangitur.

DIALOGUS VIGESIMUS QUINTUS.

De praecipuis regulis ratiocinandi.

¿Quot modis potest latere veritas, quam ratiocinio quaerere possumus? Duobus; aut quaerere possumus propositiones, quas non habemus, aut quas habemus, sed apparent obscurae.

¿Quomodo in primo cassu procedendum? Habemus ideam quamcumque. Resolvamus eam in

simpliciorem primam, quam contineat, juxta regulas haustu quinto dandas, et efformemus cum prima et secunda propositionem. Illam novam ideam, quam eduximus, adhuc resolvamus, et eodem modo omnes, quas educamus. Omnes inventae primae tribui possunt, vel ab eâ separari omnes, quas non invenimus in resolutione, dummodo cum inventis pugnent. v. g. Habeo ideam *homo*. Ex hac deduco *animal rationale*. Ex hac deduco, *quod habet rationem*. Ex hac *quod percipit, judicat, ratiocinatur &c*. Habebo ratiocinia sequentia, et eorum conclusiones erunt propositiones, quas habeo, et non habebam. Videsis operationem.

Homo est animal rationale.
Animal rationale habet rationem.
Ergo homo habet rationem.

Homo habet rationem.
Quod habet rationem percipit, judicat, ratiocinatur &c. Ergo homo percipit, judicat, ratiocinatur &c.

Alio modo adhuc in hoc cassu procedere valeo. Examino singularia, quae examini subjicere possum. Illud omne, quod iis essentiale sit, de collectione omnium examinatorum, et non examinatorum praedico, si reperiantur in plané similibus circunstantiis. Haec operatio vocatur *inductio*, et nititur in simplicitate Naturae, quae quoad essentialia uniformiter in plané similibus operatur, licet quoad accidentia sit varia. Si singularia quoad aliquas circunstantias discrepent, etiam essentialia in iis reperta collectioni do, et haec operatio vocatur analogia, quae gignit pro-

habilitatem. Hoc effecto, jam habeo principia, vel propositiones, per quas incipiam ratiocinium. Earum terminos resolvo, et varios alios habeam ad novas propositiones formandas.

Si habeo notam aliquam propositionem, quae principii loco ponam, resolvo terminum illiûs unum, et habeo medium, vel tertiam ideam ad ratiocinium. Conclusio erit propositio inventa.

¿Quomodo procedit mens dum secundo modo ratiocinatur, id est, dum ad illustrandas obscuras propositiones procedit? Earum unum terminum, vel ambos, resolvit, donec terminum unum obscurae in alio contentum videat. v. g. Non video utrum planta vivat. Resolvo terminum *Planta*, et educo hos terminos, *Corpus vegetans. Corpus, quod nutritur. Corpus quod motum internum habet. Corpus, quod vim internam motricem habet. Corpus, quod habet vitam. Corpus, quod vivit. Ad haec* perveniens, video jam plantam vivere, ac inde propositio, quae erat obscura, clara mihi effecta est.

In omnibus allatis operationibus, si resolvimus subjecta et praedicata, varia novarum propositionum genera oriuntur. Nam comparare possumus nova praedicata cum primo subjecto, nova subjecta cum primo praedicato, nova subjecta cum novis praedicatis, et separare á primo subjecto vel praedicato, quae non inveniantur in resolutione, et cum inventis pugnent.

¿Et cum per praedictas operationes habeamus illas velut catenas idearum, quomodo efformantur ratiocinia? Videas hoc in aliquo ex antedictis exemplis.

Planta est corpus vegetans.
Corpus vegetans vivit.
Ergo planta vivit.

Corpus vegetans est corpus, quod nutritur.
Corpus quod nutritur vivit.
Ergo corpus vegetans vivit.

Corpus, quod nutritur, motum internum habet.
Corpus, quod motum internum habet, vivit.
Ergo corpus quod nutritur, vivit.

Corpus, quod motum internum habet, vim motricem internam habet.
Corpus, quod habet vim motricem internam, vivit.
Ergo corpus, quod motum internum habet vivit.

Corpus, quod habet vim motricem internam, habet vitam.
Corpus, quod habet vitam, vivit.
Ergo corpus, quod habet vim motricem internam, vivit

Corpus, quod habet vitam, vivit.
Vivit omne, quod vivit.
Ergo corpus, quod habet vitam, vivit.

¿Ergo ex qualibet catena non unum, sed plura educuntur ratiocinia? Utique: statim ac tres effecimus comparationes, seu posuimus principium, applicamus et deduximus, adest unum ratiocinium. Sequentes catenas, alia eodem ordine efformamus.

¿Efformato quolibet, quid in eo animadvertendum? Conclusionem contineri in principio, quod, ut postea videbimus, vocatur major, applicationem, sive minorem, demonstrare conclusionem in majori contineri.

Animadvertimus etiam tres esse terminos: in unà propositione unum comparatur cum alio. cum quo etiam alter comparatur in secunda proposi-

tione; et in tertia ii, qui comparati fuerant cum uno eodemque, comparantur inter se. Hoc vide in sequenti ratiocinio.

Omnis homo est animal.

Sed Petrus est homo.

Ergo Petrus est animal.

Animal conclusionis est in majori utpote ipsius praedicatum; subjectum *Petrus* est inter homines, de quibus loquitur major, et hoc enunciat minor. Ergo conclusio est in majori contenta, et illud enuntiat minor.

Cum *homine* comparatur *animal* in prima: cum eodem termino *homine* comparatur *Petrus* in secunda: *Petrus et animal* comparantur in conclusione inter se.

¿Quot ergo erunt dotes facultatis ratiocinandi? Sagacitas, seu facilitas inveniendi principia, et inductio, seu facilitas applicandi principia, ut consequentiae recte ducantur, id est, consequentiae, quae contineantur in principiis.

¿Quomodo haec omnia dialogo hoc dicta pleniús intelligam? Ni viva vox explicet, difficulter intelligentur, ni longissimas discutiones efficiamus, quas compendium non patitur. Sed consule Genuensis Logicam ab Em. M. del Marmol in compendium redactam, et illustratam.

DIALOGUS VIGESIMUS SEXTUS.

De variis concludendi modis.

¿Quot modis ex principiis concludimus? Directé et indirecté: directé, quando principium ponimus. applicamus, et deducimus: indirecté,

quando non demonstramus propositionem, sed probamus aliter esse non posse.

¿*Quotuplex est ratiocinatio directa?* A priori, quando ex essentiâ proprietatem, aut ex caussa effectum colligimus: et á posteriori, quando ex proprietate essentiam, aut ex effectu caussam. v. g. A priori ex essentia proprietas.

Quod penetrati nequit, est solidum,
Corpus penetrari nequit.
Ergo corpus est solidum.

A priori ex caussa effectus.

Quod non habet partes, dissolvi nequit.
Spiritus non habet partes,
Ergo spiritus dissolvi nequit.

A posteriori ex proprietate essentia.

Quod solidum est, penetrari nequit
Corpus est solidum,
Ergo corpus penetrari nequit.

A posteriori ex effectu caussa.

Quod dissolvi nequit, partes non habet
Spiritus dissolvi nequit,
Ergo spiritus non habet partes

¿*Quot modis ratiocinamur indirecte?* Vel ab absurdis, vel á debitis consequutionibus, vel á partium enumeratione.

Ab absurdis ostendimus propositionem esse veram, quia, si falsa esset, sequerentur absurda, vel propositiones contra aliquas ex tribus, quae sunt, evidentias: aut esse falsam, quia absurda sequuntur. v. g. *Virtus est abhorrenda*; est falsa, quia, si esset vera, tranquilitas animi, quam dat virtus, esset abhorrenda *Luna non habet propriam lucem*, est vera, quia, si esset falsa, Luna semper luceret.

A debitis consequutionibus pono aliquam propositionem ut veram. Video quid consequi debeat: si consequatur, est vera. v. g. Pono Deum esse, seu Mundi auctorem sapientissimum. Consequi debet Mundum esse miré ordinatum. Video ita esse. Ergo Deus est. Tales sunt omnes ratiocinaciones conditionales.

Ab enumeratione partium. Omnes partes enumero. Video omnes excludi aperté praeter unam, v. g., et veram hanc esse concludo. v. g. Anni stationes sunt hiems, aestas, ver, autumnus. Nunc non est aestas, nec autumnus, nec ver. Ergo est hiems. Ut recta sit haec argumentatio, necesse est ut completé partes numerentur, et ut exclusio sit manifesta.

¿*Quando ratiocinium demonstrat, vel quid est demonstratio?* Est ratiocinium constans evidentibus propositionibus, et legitimé ductâ consequentiâ. v. g. Totum est suâ parte majus. Sed scala est pars domus. Ergo scala est minor domo.

DIALOGUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

De argumentatione, et de ejus speciebus.

¿*Quid est argumentatio?* Oratio, quâ ratiocinium exprimitur.

¿*Quotuplex est?* Sillogismus, Entimema, Epicheremma, Prosillogismus, Dilemma, Exemplum, Sorites, Inductio, et Analogia.

¿*Quid est Sillogismus?* Argumentatio, in qua duo termini comparatur cum tertio, ut ex eorum cum illo convenientiâ, vel repugnantia deducamus

illos duos convenientes vel pugnantes inter se. Ergo constat tribus comparationibus, et tribus terminis. Plura exempla supra allata sunt.

¿Quomodo vacantur propositiones et termini? Duae primae praemisse: illa, in qua reperiatur praedicatum ultimae, major propositio: illa, in qua est subjectum ultimae, minor: tertia conclusio, vel consequens. Ex terminis praedicatum conclusionis extremus major, subjectum minor; et alius, cum quo comparantur extremi, et non reperitur in conclusione, medius. Consequentia non est propositio, sed illatio conclusionis ex praemissis expresa particula *ergo*, *vel igitur &c.*

¿Quid est entimema? Sillogismus clariori praemissâ brevitatis caussâ mulctatus v. g. Tu es homo, ergo tu es mortalis. Prima vocatur antecedens, secunda consequens.

¿Quid est epicheremma? Sillogismus probabilis, cui alterutri, vel utrique praemissarum, sua probatio adjungitur. v. g. Spiritus est indisolubilis, quia partibus caret. Sed quod est indisolubile est immortale, quia indestructibile. Ergo spiritus est immortalis.

¿Quid est Prosillogismus? Argumentatio duobus sillogismis constans ita unitis, ut conclusio primi sit secundi major, vel minor, et quarta propositio, vocatur Subsumpta. v. g. Omnis homo est animal. Sed tu est homo. Ergo tu es animal. Sed animal internum motum habet. Ergo tu internum motum habes.

¿Quid est Dilemma? Argumentatio, quae dicitur cornuta, quia major habet duas partes, et in minori ostenditur utrinque incommodum pa-

rere. v. g. Impii, aut moriendo toti pereunt, aut non. Si primum, nulla eis post mortem felicitas: si secundum, nulla item felicitas, quia punientur á judice justo Ergo nulla post mortem iis felicitas. Ut rectum sit dilemma, necesse est ut retorqueri non valeat in eum, qui eo utatur, et ut major sit vera disjunctiva.

¿Quid est exemplum? Argumentatio, quâ ex uno singulari aliud simile colligitur. V. g. Cessant maris tempestates. Ergo cessabunt justi hominis calamitates.

¿Quid est Sorites? Acerbus quidam propositionum ita cohaerentium, ut praedicatum primae sit subjectum secundae, praedicatum secundae subjectum tertiae, sicque deinceps, donec praedicatum ultimae cum subjecto primae conjungatur. V. g. Avidus multa desiderat. Qui multa desiderat, multis eget. Qui multis eget est miser. Ergo avidus est miser.

¿Quid est inductio, quid analogia? In dialogo vigessimo quinto hujus quarti haustus deffinitos relinquimus has duas argumentationes.

DIALOGUS VIGESIMUS OCTAVUS.

De arte sillogistica.

¿Quid est ars sillogistica? Collectio regularum, quibus si conformetur sillogismus, recte concludet.

¿Quo ex principio illae educentur? Ex hoc nempe (quô essentia sillogismi nititur, si ea consistit in eo, quod sit affirmatio unius de alio per

aliud) conclusio contineatur in majori, minor demonstret contineri. Hoc principio servato, quin regulas consulamus, rectos sillogismos faciemus. Ast regulae juvant ut faciliús procedamus in cassibus, ut dicunt, particularibus. Si dico: omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo Petrus est animal, praedicatum animal est in majori, Petrus est inter homines, de quibus loquitur major, et minor enuntiat Petrum inter illos homines contineri. Rectus ergo est sillogismus.

¿Quot sunt regulae, quas dicebas? Septem: 1ª Sillogismus tribus terminis, tribusque propositionibus, componatur. Patet ex essentia sillogismi, et fluit ex principio antea statuto.

2ª Medium terminum saltem in una praemissarum universaliter sume Nam bis particulariter sumptus duas ideas diversas repraesentare poterit, quod prima regula vetuit. Si dico aliqui homines sunt fures, aliqui homines sunt sancti, ergo aliqui fures sunt sancti; homines de quibus loquimur in majori, sunt alii homines diversi ab iis, de quibus in minori loquimur.

3ª Termini in conclusione nequeunt esse universaliores quam in praemissis. Nam, si essent universaliores, majus contineretur in minori, quod absurdum. Peccat ergo hic sillogismus. Omnis circulus est figura. Sed circulus est rotundus. Ergo omnis figura est rotunda.

4ª Ex praemissis ajentibus ajens manat conclusio: quia negans in ajentibus non continetur.

5ª Ex praemissis negantibus nil concluditur: non affirmando, quia affirmatio non continetur in negatione: non negando, quia possunt duo termi-

ni cum tertio non convenire, et tamen convenire inter se.

6ª Ex praemissis particularibus nil concluditur, quia tunc, vel quatuor essent in sillogismo termini, vel unus ex iis in conclusione universalior esset, quam in praemissis.

7ª Conclusio sequitur debiliorem partem. Hoc est, si una ex praemissis est negans, probabilis, dubia, falsa, negans, dubia falsa erit conclusio. Nam primum; eo modo, quo contineatur in majori conclusio, enuntiatur conclusio. Secundum; eo modo, quo demonstret minor conclusionem contineri in majori, enuntiatur conclusio.

DIALOGUS VIGESIMUS NONUS.

De sillogismis compositis.

¿*Quid est Sillogismus compositus*? Qui propositionibus compositis constat. Varii sunt, sed frequentiùs utimur disjuntivis, conditionalibus, et causalibus.

¿*Quid est sillogismus disjunctivus*? Ille, cujus major est disjunctiva. Hujus pars una tollitur in minori, ut altera asseratur in conclusione, vel viceversa. v. g. Impii aut poenitere debent, aut damnari. Sed poenitent. Ergo non damnantur. Vel: sed non poenitent. Ergo damnantur. Hic sillogismus rectus erit, si habeat conditiones, quas eximgebamus pro ratiocinio vocato á partium enumeratione.

¿*Quid est sillogismus conditionalis*? Ille, cujus major est conditionalis, et ejus pars prima

vocatur antecedens, secunda consequens: statutâ veritate antecedentis in minori, statuitur veritas consequentis in conclusione, vel statutâ falsitate consequentis in minori, statuitur in conclusione antecedentis falsitas. Negato, vel posito antecedenti in minori, negari vel poni potest in conclusione consequens, si talis sit inter utrumque nexus, ut ex antecedenti consequens necessarió sequatur.

¿*Quid est sillogismus causalis?* Ille, cujus major est causalis propositio, et in minori caussa, quae in majori enuntiatur, novo subjecto tribuitur, ut illi eumdem effectum concedamus: vel illa caussa novo subjecto negatur, ut ei negemus effectum, quem enuntiat major. Possumus quidem subjecto minoris effectum in majori enuntiatum tribuere, vel negare, ut in conclusione eamdem caussam illi subjecto tribuamus, vel negemus, si effectus ille á nullâ alia caussâ procedere possit, nisi ab eâ, quam enuntiat major.

DIALOGUS TRIGESIMUS.

De sophismatibus.

¿*Quid est sophisma?* Falsum ratiocinium, quo adversarius captiosus nos intendit illaqueare.

¿*Cui usui sophismatum cognitio inservit?* Ut ea cavere discamus.

¿*Quot sunt sophismatum genera?* Vel consistunt in vocibus, vel in ideis.

¿*Ea deffinias et produc regulas ad illa dissolvenda?* Pudet tempus impendere in vanis quis-

quiliis, et puerili farragine, ex quibus liberabit se omnis, qui regulas ratiocinii sciat. Omni sophismate vel conclusio non continetur in majori, aut minor non demonstrat revera contineri, ac inde extremi non conjunguntur recté cum medio, ac propterea sunt quatuor termini; vel propositiones adhibitae aptae non sunt ad propositionem, de qua agitur, deducendam. Ast hoc ultimum non ex praeceptis, sed ex quaestionis indole eruendum erit.

HAUSTUS QUINTUS.

LOGICA ORDINATRIX.

DIALOGUS TRIGESIMUS PRIMUS.

DE METHODO GENERATIM, METHODI SPECIEBUS, ET REGULIS IIS COMMUNIBUS.

¿Quinam sunt Logici postremi in veritatem gressus? Concatenationem contexere plurium ratiocinationum, vel methodum intelligere et servare.

¿Quotuplex est methodus? Analītica seu resolutionis, et sintetica seu compositionis.

¿Quid est methodus analitica, quid sintetica? Analitica ideas compositas resolvit in simplices. Hac veritas inquiritur. Sintetica ex simplicibus progreditur ad composita. Hâc uti solent ad veritatem docendam.

¿Quomodo his methodis uti debemus? Analiticâ resolvimus composita, quâ resolutione partes

videmus omnes compositae ideae, et ordinem, quo in toto existunt; quo facto, patet veritas. Et, ut certi simus rem bené esse resolutam, sinteticâ methodo componimus, ut videamus utrum exurgat ex partibus, quas eduximus, et de novo conjungimus, res eadem, quae erat ante resolutionem. Ergo utrâque methodo utimur ad veritates inveniendas. Ad docendum idem facimus; sed omittimus, dum exhibemus resolutionem, res illas, quas examinamus, et non duxerunt ad propositionem, quam tandem invenímus. Ergo ad docendum utraque etiam methodo uti debemus. Haec viva voce et praxi rectiús, et planiús intelliguntur.

¿*Quaenam sunt methodi regulae?* Aliae sunt methodo utrique communes, aliae cuilibet speciales.

¿*Quot et quae sunt primae?* Sunt quinque. Eas accipe.

1ª A notioribus et facilioribus incipias, et pedetentim progrediaris ad ignota et difficiliora. Ratio id suadet: quia faciliora lucem difficilioribus intelligendis suppeditant, et notae sunt bases firmae, quibus nitaris ad ignota videnda. Haec firma praemittenda sunt axiomata, aut observata, aut experta, aut demonstrata, et cave ne adoptes ut axioma illud, quod constet magis ex consensu hominum, quam ex ratione.

2ª Dum á notis et facilibus ad ulteriora progrediaris, in omnibus seriei gradibus evidentia servanda: id est, consequentiae omnes, quas deducas, eádem evidentiâ videas esse ducendas. Nam veritas consequentiae ultimae, quam deducimus, pendet ex connexione omnium antecedentium in-

ter se et cum principiis. Ad hanc evidentiam servandam juvat uti verbis tantúm necessariis, et stilo naturali et simplici.

3ª Res, de qua agitur, in sua membra dividatur, et singula educta membra subdividantur, et partes hae omnes examinentur. Nemo est, qui hujus divisionis utilitatem nesciat, nemo, qui ad claritatem conducere non fateatur.

¿*Quid est divisio?* Propositio rem in suas partes tribuens.

¿*Quot sunt regulae ad recté dividendum?* Tres 1ª Divide in membra ita, ut nullum defficiat, nullum redundet.

2ª Subdivide, si opus est, usque ad simplicia.

3ª Unum membrum non contineatur in alio.

¿*Produc quartam regulam ex iis, quas insequeberis?* 4ª Chartam habe ob oculos, quae divisiones et subdivisiones rei, de quâ agis, contineat. Mira est hujus regulae utilitas.

5ª Deffinias res omnes et vocabula, quibus uti debeas, si opus fuerit, et ea semper cum iisdem notionibus accipias. Si hoc non fiat, nec nitidé res percipiemus, nec intelligi ab aliis poterimus.

¿*Quid est deffinitio?* Illius, quod obscurum est, explicatio.

¿*Quotuplex est deffinitio?* Vel rei, quâ latens rei natura explicatur, vel nominis, quâ vox aliqua obscura clara redditur. Primae exemplum accipe. Philosophia est scientia omnium rerum, non auctoritate vilâve alia; sed ratione adquisita. Secundae exemplum: Philosophia significat amorem Sapientiae.

¿ Quot sunt regulae ad recté deffiniendum? Quinque. 1ª Deffinitio sit clarior deffinito. Aliter non esset explicatio.

2ª Nullum verbum obscurum in deffinitione relinquatur.

3ª Deffinitio sit universalis, id est, toti rei deffinitae conveniat: aliter enim rei tantum pars explicatur.

4ª Deffinitio sit propria, id est, soli rei deffinitae conveniat: aliter siquidem extenderetur ad aliquod, quod non est in ipsa re deffinita.

5ª Deffinitio constet ex genere et differentia: res enim non intelligitur, nisi capiamus ea, quae sint ipsi propria, et communia cum aliis, id est, suam essentiam.

DIALOGUS TRIGESIMUS SECUNDUS.

De methodi analiticae regulis.

¿ Quot sunt regulae methodi analiticae speciales? Septem: 1ª Perpende si par es solvendae quaestioni, de qua agatur: id est, vide si tuae vires oneri ferendo, de quo agitur, sint sufficientes. Ni hoc facias, tempus et laborem perdes.

2ª Propositae questionis nodus vel difficultas clarissimé intelligenda est, si proponatur á nobis. Si proponatur ab aliis, rogandi sunt, ut claré difficultatem vel nodum explicent. Si haec non fiant, nesciemus quid quaerimus.

3ª Si questio est composita, dividatur in omnes partes suas simplices, et incipiendum est ab iis, quae caeteris afferant lumen.

4ª Omnia, quae cum quaestione connexionem aliquam habeant, et lumen praestare possint, sunt perquirenda. Ergo vel hipotheses omnes possibiles confingendae. Sic praesidia undequaque habebimus.

5ª Ea omnia rescecanda, ne impedimento sint, quae per superiorem regulam collecta videmus non afferre lumen.

6ª Ideae mediae, quibus propositionis, de qua agitur, subjectum et praedicatum componantur, curâ maximâ sunt inquirendae.

¿*Quid sunt hae ideae?* ¿*Quomodo quaeruntur?* Hâc super re audi celeberrimum Logicum ita scribentem. „¿Quo autem modo, qua arte „ inveniri potest medius terminus? Id ex seria „ attentione, et ingenii sagacitate potiús, quam „ ex praeceptis pendere videtur; quare subjec„ tum et attributum quaestionis seriâ mentis at„ tentione sunt consideranda: Sic enim eorum „ ideae evolvuntur, amplificantur, quod ad ter„ mini inventionem multúm inservire potest; mens „ insuper debet se ipsam interrogare, quaestio„ nem sub omnibus respectibus aggredi, eamque „ versare in omnem partem, donec tandem me„ dium aliquod aptum ad solvendam quaestio„ nem excogitaverit." Sed nos sequentia addimus.

Si nescimus quid contineatur in aliquâ ideâ, ut formemus propositiones antea menti non obversatas; vel non videmus utrum praedicatum, v. g. alicujus propositionis contineatur in subjecto, propterea est, quia est obscuritas in illo subjecto vel idea, ob id quod alias continet. Ergo haec obscuritas venit ex illius ideae compositio-

ne. Statim ergo ac eam resolvamus, vel ex ea educamus ideas contentas, et eo ordine, quo continentur, cessat obscuritas. Ille recté resolvet, qui sciat ordinem, quo ideae compositae fuerunt, vel quo fuerunt composita objecta illâ ideâ repraesentata. Ita componit Natura, ut rem aliquam sumat, quam in plura dispergit, et illae dispersae in plura aliquid addit. Pluribus ex his objectis re primâ et aliâ additâ constantibus aliquid addit: in plura iterum dispergit hanc ex primâ re, et primâ secundâque additione constantem, et aliquid iterum addit. Et sic deinceps, donec perveniat ad rem, quae non dispergatur. Uno verbo: componit Natura ex generibus remotis inferioribusque, et differentiis, donec perveniat ad individua. Quodlibet ergo objectum comprehendit varia genera et differentias, ac proinde varias ideas; et hae res compositae extenduntur ita, ut ex his participent plures vel pauciores species, plura vel pauciora individua. Ergo, his suppositis, individuum compositum est quoad comprehensionem, et simplex est quoad extensionem. Genus supremum simplex est quod comprehensionem, et compositum quoad extensionem. Genera media simpliciora sunt quoad extensionem, et magis composita quoad comprehensionem.

In datâ quâlibet ideâ quaerere possumus compositionem quoad comprehensionem, vel quoad extensionem: id est, quaerere possumus quodnam sit genus, et quaenam sit differentia, hoc est, essentiam: vel quaerere possumus species et individua. Si quaerimus quoad comprehensionem simplicia, investigatur res, quae datae sit simi-

lior, et unum tantum attributum ei desit, in quo huic illa quaesita excedat. Hoc atributum erit differentia, et conjunctio attributorum, quae remaneat, erit genus proximum. Sed animadvertendum est habere nos non debere tamquam genus et differentiam nisi illa, quae in rebus examinatis, et omnibus eis aequalibus, quae examini subjici valeant, non reperiamus tamquam essentialia, 'hoc est, convenientia iis omnibus quin incrementum et decrementum patiantur. Si quaerimus simplicia quoad extensionem, investigamus rem quaesitae similiorem, quae ei uno attributo excedat (supponendo semper examinandum esse quaenam sint essentialia, nam haec tantum quaeruntur) et hoc attributum erit differentia, quae cum reliquis, quae genus constituunt, species efformant: et sic procedimus donec veniamus ad individua.

Ex dictis patet primam ideam in secundâ contineri, secundam in tertiâ, hanc in quartâ, sicque deinceps; ac propterea prima medium est, quo pervenimus ad secundam, secunda medium est, quo pervenimus ad tertiam; et sic deinceps. Hae ideae quaesitae et inventae mediae vocantur, et allato modo inveniuntur. Qui haec omnia fusiús, ac proinde clariús, explicata, illustrataque exemplis videre amet, praelaudatam in quarto haustu Logicam e Genuensi versam, et e Condillaccio illustriorem redditam ab Em. M. del Marmol adire poterit, namque compendii hujus ratio diffusiorem sermonem vetat. Adire etiam poterit artem ratiocinandii ipsius Condillaccii, et libros de inventione veritatis á Malebranchio conscrip-

criptos. Sed viva vox, et praxis haec, quae obscura videntur, clarissima reddunt, prout longa nos experientia docuit. Loquentes addimus plura, quae scribentes epitomen praetermittimus, quo ideas tantum, quas vocamus matres (fas sit mihi ita loqui) adducimus.

Resolutio totius in partes naturâ similes, quae non qualitate, sed quantitate á toto discrepent, affinis est ei, quâ qualitates vel essentias inquisivimus.

Ut effectus caussam investigem, ipsius effectus naturam quaeram, et apparebit cujus naturae requiratur agens ad eum producendum. Si, inductione confecta, unum tantum illiús naturae appareat, illud est caussa quaesita: si plura, caussa erit illud, quod ex iis in effectum immediatum habeat influxum.

Si caussae alicujus effectus inquiratur, naturam illius caussae quaeram, ut videam cujus generis effectus valeat producere. Ut videam quos ex iis produxit, vestigabo per inductionem, qui íllius generis extent effectus: si á nullâ aliâ caussâ praeter examinatam pendere possint, ab eâ pendent. Si ab aliis, eos illi tribuam, quae immediatiorem in ipsos habeat influxum.

Restat ultima regula.

7. Si confectis iis, quae superior regula praecipit, veritas non appareat, resolutio ulteriús est provehenda.

DIALOGUS TRIGESIMUS TERTIUS.

De regulis methodi sinteticae.

¿*Quot sunt regulae methodi sinteticae?* Novem.

1ª Ea, quae docere, vel explicare velis, perfectiús, quantum fieri possit, tu scias.

2ª Auditores elige, et vel eligas, si possis, vel non eligas, si id tibi non est datum, aliqua dicenda, aliqua tacenda sunt, vel non omnibus aperienda, quia non omnes omnia possunt.

3ª Vocabula, quibus utendum est, si opus sit, deffinias.

4ª Deffinitionibus axiomata sequantur, ex quibus ratiocinia concludamus. Potes tamquam axioma statuere illud, quod, licet demostrari possit, certum est illi, quem doces. Si disputas, statuere potes ut axioma, quod, licet falsum sit, tamquam certum habetur ab adversario.

5ª Post axiomata postulata, et vel hypotheses sequantur, si quae ocurrunt proponendae.

6ª Nil demonstrandum nisi ex iis deffinitionibus, axiomatibus, postulatis, hypothesibus, quae statuisti.

7ª Nullae adhibendae propositiones, quae non inserviant ad rem, de qua agitur, probandam.

8ª Praemitte propositiones, quae aliis demonstrandis inserviunt.

9ª Si per regulam liceat superiorem propositiones simplices et minús genericae praecedant compositis et magis genericis.

DIALOGUS TRIGESIMUS QUARTUS.

De usu et praetio hypotheseon.

¿*Quid est hypothesis?* Propositio, quae tamquam vera assumitur, quin demonstretur. v. g. Si Mundus providentia regitur, Deus est.

¿*Quid hypothesibus efficimus?* Habere propositiones, quae theses, vel propositiones certae et demonstratae effici possint. Quia, qui caussas possibiles omnes cognoscit, faciliús inter eas veram caussam inveniet, quam qui nec possibiles cognoscit.

Per hipothesim etiam probabilia habemus, quando certa non adsunt.

¿*Quibus regulis duci debemus ad efformandas hypotheses?* Tribus.

1ª Hypotheses effingamus, quando spes non adsit inveniendi veras et reales caussas.

2ª Nil contineat hipothesis, quod phoenomenis, effectibus, et qualitatibus rei, de quâ agatur, repugnet: tunc enim hipothesis est impossibilis.

3ª Sufficiat hypothssis ad omne id demonstrandum, cujus gratia assumitur.

DIALOGUS TRIGESIMUS QUINTUS.

De methodo legendi, et studendi, atque de methodo disputandi.

¿*Prueter allatas antea methodos sunt aliae?*

Utique: methodus legendi, atque studendi, et methodus disputandi.

Produc earum regulas. Primae regulas passim in hac epitome sparsa reperies: secundae prolixae admodum sunt, si explicationibus expediantur, faciles, si praxi discuntur. Eas ergo praetermitamus.

Opus, mi dilecte, quod rogasti, exegi. Utinam tu opus tuum facias Praecipua Logicae praecepta redegi ita, ut sufficiant ad diffusiores Logicae libros intelligendos. Ea disce, et totis viribus disce. Haec sunt mea vota.

INDEX.

BREVIS NARRATIO PATRIS ANDREAE GUEVARA,

LOGICA.

HAUSTUS PRIMUS

Logica emmendatrix.

HAUSTUS SECUNDUS.

LOGICA INVENTRIX.

HAUSTUS TERTIUS.

LOGICA IUDICATRIX.

HAUSTUS QUINTUS.

LOGICA ORDINATRIX.

NOTAS.

El Autor no reconoce por suyos los ejemplares, que no tengan en el reverso de la portada su apellido y rubrica de su puño, y sello con las iniciales y finales de sus nombres y apellido.

Se vende con las demas obras filosoficas del Autor en su casa Dormitorio de S. Pablo N. 17. Las obras sobre otras materias del mismo, se hallan en las librerias de esta Ciudad.

NOTAS

El Autor no reconoce por suyos los ejemplares, que no vayan en el reverso de la portada de su rúbrica y [illegible] *con las iniciales y finales de sus nombres y apellido.*

Se vende con las demas obras filosoficas del Autor en su casa Parroquia de S. Pablo N. 17. Los demas libros, y otras obras del mismo, se hallan en las librerías de esta Ciudad.


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm